

DE

GRAECI SERMONIS NOMINUM

DEMINUTIONE ET AMPLIFICATIONE FLEXORUM

FORMA ATQUE USU

SCRIPSIT

LUDOVICUS IANSON



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXIX.

DE

GRAECI SERMONIS NOMINUM

DEMINUTIONE ET AMPLIFICATIONE FLEXORUM

FORMA ATQUE USU

SCRIPSIT

LUDOVICUS IANSON.



LIPSIAE,
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXIX.

Separat-Abdruck aus den Jahrbüchern für Philologie und Pädagogik.
Supplement. Band V. Heft 2.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PIAE AUGUSTI LOBECKII

MEMORIAE

SACRUM

LUDOVICUS IANSON.

DE GRAECI SERMONIS NOMINUM

DEMINUTIONE ET AMPLIFICATIONE FLEXORUM

FORMA ATQUE USU

SCRIPSIT

LUDOVICUS IANSON.

Viginti quinque iam annos in Graecorum deminutivorum usu perscrutando operam studiumque me posuisse minime paenitet, siquidem Dorotheus Ascalonita[1]) uni voci κλίσιον explanandae totam vitam impendit, neque quicquam tam exiguum parvumque iudicari oportet, quin etiam summis temporis operaeque impendiis explicari excutique debeat. nam post laudabilem illam Spohnii curam, quam in colligendis veterum technicorum de formis deminutivis adhibuit auctoritatibus, recentiorum grammaticorum nemo eam rem ita tractavit, ut haec artis particula absoluta sit ac perfecta. Matthiaeus enim cum Fischeri ad Welleri grammaticam vestigia temere premeret, in huius errores non semel se induci passus est. ac Buttmannus, qui ut omnia, quae de singulari parte grammaticae praecipi possunt, ad artis praecepta revocaret longissime afuit, de aliquot tantummodo nominum in -ιον trisyllaborum cum deminutivis similitudinem ac commercium gerentium proprietate diligentius quaerens, quae ad universae rei naturam pertinent, plurima praetermisit. operae igitur pretium nos facturos arbitramur, si Graecorum usum atque rationem perquirentes id agamus, ut ea maxime distinguantur nomina, quae deminutivorum speciem prae se ferentia eorum carent significatione. atque equidem etsi haud ignoro haec studia multis, qui sibi soli sapere videntur, improbatum iri, satis tamen me praemii tulisse existimabo, si illorum virorum, qui intellegentiore subtilioreque iudicio excellunt, aliquam approbationem invenero. verum ne quid dissimulasse videar, nonnulla me praecepta per Lobeckii, summi viri, eheu iam cum haec scribo vita defuncti, opera passim dispersa, ita in usum meum convertisse fateor, ut ea huic apparatui velut lumina atque insignia interposuerim.

I.
DE VARIA DEMINUTIONIS RATIONE AC NATURA.

Duplex cogitatione fingi potest deminutio. una posita est in sententia, altera in forma. illa varii maxime generis aut calumniantis est convitiantisve, ut ioculare illud Βάταλος[2]) maledictum in Demosthenem ab Aeschine coniectum, aut blandientis, ut pater ille apud Horatium sat. I 3, 44, aut imminuentis infirmantisve alicuius hominis bona aut vitia, ut Malitia illa personata apud Xenophontem: οἱ μὲν ἐμοὶ φίλοι καλοῦσί με εὐδαιμονίαν, οἱ δὲ μισοῦντές με ὑποκοριζόμενοι ὀνομά-

1) cf. Spohn de extrema Odysseae parte p. 145. 2) cf. Hesychius, Harpocratio, Suidas, Etym. M., Plut. Dem. 4.

ζουςί με κακίαν. alter modus, qui formae est, versatur in terminatione, ut vox quae deminutione infringatur terminatione aliqua designetur. hanc rem convenientissime explanat Aristoteles rhet. III 2 ὑποκορισμὸς ὃς ἔλαττον ποιεῖ καὶ τὸ κακὸν καὶ τὸ ἀγαθόν.

Nonnulli sane technici utramque rationem deminutionem, μείωσιν appellantes, ut τέκνον, ἄττα, πάππα, μαῖα, ad utriusque generis discrimen parum videntur attendisse. apte ergo Priscianus III 5, 26 *deminutivum est, quod deminutionem primitivi sui absolute demonstrat*; neque minus Lascaris: ὑποκορισμὸς inquit ὄνομά ἐστι τὸ μείωσιν τοῦ πρωτοτύπου δηλοῦν· cf. Spohn l. c. p. 115. nihilo setius tamen Schaeferus ad Greg. Cor. p. 28 complura protulit in medium vocabula pro deminutivis, quae primitivis carere inveniuntur, ut ἀμφίον, ἠρίον, ἀμνίον, alia, nihil illa nisi deminutivorum accentum habentia. haec enim ternarum syllabarum vocabula cum deminutivorum tenorem prae se ferrent, magnum illum virum fefellisse videntur.

Illa enim lex, qua trisyllaba in -ιον desinentia deminutiva, si sint tribracho paria, προπροξυτόνως, sin dactyli numerum prima syllaba seu positione seu natura producta habeant, παροξυτόνως scribantur, cum in nonnullis obtineat nominibus, quae propter significationem in deminutivis esse nequeunt, ut ἑρκίον, ἠνία, ἠρίον, θηρίον, ἰνίον, ἱστίον, ἰσχίον, κηρίον, μηρία, οἰκία, πηνίον, τειχίον, φορτίον, φυκίον, alia, haud cuiquam dubium esse potest, quin ea, quibus vis deminutiva merito abiudicatur, ad tenorem saltem horum analogiam fuerint secuta. veteres autem technographi hunc accentum utrum antiquitus ita acceptum tradiderint, an deminutivorum similitudine falsi hac in re erraverint, eo magis incertum est, quo inconstantior eius locus invenitur in libris nunc editis (cf. infra). haec vero nomina cur fuerint ad deminutivorum normam scripta, caussa in eo posita videtur, quod his plerisque sunt voces, unde deminutivorum instar ortum habere gignique videantur. hac autem in re quantum valeat veterum technicorum παράδοσις, inde perspici potest, quod, dum ἑρκίον, θηρίον, μηρία alia παροξυτόνως signantur, ἴχνιον [3]), ποίμνιον alia, etiamsi habeant ad quae referri possint prototypa, προπαροξυτόνως scribuntur, atque ἠρίον, etsi eius primitivum prorsus latet, eandem accentus excipiebat analogiam, contra ὄγκιον, origine quidem manifestius, illam deminutivi speciem aperte deposuisse invenitur.

II.
EPICI ET TRAGICI POETAE DEMINUTIVA PLERUMQUE VITAVERUNT.

Deminutiva cum cotidiani fere fuerint sermonis, cur eorum usus abiudicatus sit poëtis, qui grandibus in rebus sublime dicendi genus adhibebant, per se liquet. etenim sublimis spiritus attollit orationem et

3) mutae cum liquida copulatio in horum nominum genere nihil momenti habet. cf. infra.

magna ac sublimia sermone nimis trito atque vulgari attenuantur. hinc Quintilianus X 2, 22 *sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. nam comoedia non cothurnis assurgit, nec contra tragoedia socculo ingreditur.* recte igitur Brunckius vocem dem. δελήτιον, quae in Etym. M. 254, 15 Sophocli vel Sophroni tribuitur, Sophoclis esse negat; tum ϲιτία, quo vocabulo idem Sophocles secundum Athenaeum XI 475ᵃ usus esse fertur, propter metrum in ϲῖτα rescribendum esse iam vidit Musgravius, neque adstipulamur Nauckio, qui in Tragicorum fragmentis p. 705 in verbis κλίθητι καὶ πίωμεν· οὐ καὶ ϲιτία πάρεϲτιν contra Bergkium et Meinekium (Com. Graec. fragm. IV p. 676) tragici cuiusdam orationem agnovisse sibi videtur. atque in epicae dictionis tenorem peccasse dicendus foret Theocritus, si id. 23, 5 scripsisset: — πῶϲ πικρὰ βέλη ποτὶ παιδία βάλλει, nisi Henr. Stephanus et D. Heinsius ποτικάρδια corrigendo loco affecto succurrisset. neque contra dubito ibidem id. 11, 60, ubi expressum est νῦν μάν, ὦ κόριον, νῦν αὐτόθι νῦν γε μαθεῦμαι, cum scholiasta ut rescribatur vel ὦ κώρη vel ὦ κούρη suadere. Euripidis vero verba, quae citavit Dionysius Halicarnasensis vol. V p. 301 et 355 Reisk. ex Melanippae fabula: εἰ δὲ παρθένοϲ φθαρεῖϲα ἐξέθηκε τὰ παιδία εἰϲ τὰ τοῦ πατρὸϲ βουφόρβια, Valckenarium[4]) nacta sunt emendatorem, qui eiecto τὰ παιδία ut illius rhetoris scripsit: εἰ δὲ παρθένοϲ | φθαρεῖϲά γ' ἐξέθηκεν εἰϲ βουφόρβια. idem autem Euripides, qui quod vulgaris sermonis vocabula in tragoediam invexerit, a veteribus technicis saepius reprehenditur, bis usurpavit χλανίδια: Or. 42 χλανιδίων δ' ἔϲω κρυφθεὶϲ — et Suppl. 122 ϲέ, τὸν κατήρη χλανιδίοιϲ, ἀντιϲτορῶ. tum Sophocles ap. Plutarchum Symp. 6, 6, 2 λεπτοϲπαθήτων χλανιδίων.[5]) cuius vocabuli, cum vestem stragulam significaret (cf. schol. Eur. l. c. et Aristoph. Lys. 1188), certe significatio num fuerit Euripidi deminutiva, dubitare licet. aperte vero paragoga sunt non deminutiva πτολίεθρον, κύπελλον, quod Buttmannus lexil. I p. 161 deminutivum esse dicit.

Ceterarum deinceps, quibus deminutio perperam adsignificatur, terminationum proponenda est ea quae cadit in -ιϲ. atque haec disputatio ordienda est ab Homero. de vocum ἀγκαλίδεϲ, πλημυρίϲ sive πλημμυρίϲ, ληΐϲ, δμωΐϲ paronymia nemo temere disceptabit, neque quisquam γλυφίϲ, de quo nominum genere infra copiosius exponetur, deminutivum appellabit. plus autem dubitationis habent ϲκαφίϲ et ψηφίϲ. illud enim in Etym. M. deminutivum vocatum in vasis culinariis habetur a Polluce μάκτραν explicante, quam eandem significationem et ipsi eius primitivo assignat. Galenus denique in lexico Hippocr. ait Atticis[6]) ϲκαφίδα fuisse ποιμενικὴν ϲκάφην, illum Homeri (Od. IX 223) versum subiungens. cf. Ath. XI 499ᶠ. huius igitur voculae vis deminutiva non clare perspicitur. at magis dubia est res in voce ψηφίϲ, cuius ultima syllaba contra deminutivorum modum producitur. quodsi quaeritur, num de lapide, ut aiunt, pugillari usurpatum fuerit, lusit quidem Hipponax apud Ath. XV 698ᶜ

---

4) cf. Matthiae Eur. tom. IX p. 215. 5) de indumento mollium hominum apud Her. I 195, cf. Eubulus ap. Ath. XII 553ᵃ. 6) cf. Pollux X 10, qui id ex Aristophanis Holcadibus citat, et schol. Theocr. 5, 59.

Μοῦςά μοι Εὐρυμέδοντ᾽ ᾄδοις τὸν ποντοχάρυβδιν,
τὴν ἐγγαστριμάχαιραν, ὃς ἐςθίει οὐ κατὰ κόςμον.
ἔννεφ᾽ ὅπως ψηφῖδι κακῇ κακὸν οἶτον ὄληται
βουλῇ δημοςίῃ παρὰ θῖν᾽ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο.

verum Herodotus VI 109 cum composito ψηφιδοφόρον illum polemarchum, qui suo suffragio rei momentum attulerat, significaret, ea vocula quamvis derivata quin id temporis primitivi similem significatum habuerit, non est dubium. sed ex Homero, qui eo semel Il. XXI 263 usus est de lapillis maritimis, lexicographorum interpretatio confirmatur, ut Zonarae lex. p. 1872 οἱ μικροὶ λίθοι. cf. Diod. Sic. V 26. Etym. M. s. v. hinc ergo, quamquam concedatur oportet, derivati cum primitivo significationem plane congruisse, de vera huius nominis deminutione aliquantum dubitari potest. et saue mirari licet, quod eiusdem fere significationis vocabulum λᾶϊγξ, si ad eius potestatem spectatur, deminutivum esse videtur. at praeterquam quod nulla Graeci sermonis vocula huic similem subiit hypocorismum (cf. infra), praesertim cum Apollonius Rhodius I 402 aliique posterioris aetatis poëtae eo non ut deminutivo usi fuerint, videtur ea potius terminatio poëticus fuisse metaschematismus, ut in λιθάς pro λίθος (cf. infra). neque σκύλαξ a scholiasta ad Theocr. 2, 12 ὑποκοριστικόν appellatum neque λίθαξ apud Homerum pro deminutivis haberi possunt (cf. infra). lyricorum deinde tragicorumque eius modi nomina sunt ἀηδονίς (Eur. Rhes. 506. Theocr. 8, 38), νοτίς, παρηΐς (Aesch. Eur.), κρηνίς, cuius ultima syllaba contra deminutivorum legem longa est (Eur. Hipp. 210), πορθμίς (Eur.), μηλίς, οἰνανθίς (Ibycus apud Athenaeum XIII 601 b). de quorum natura infra latius disseretur, eaque singula hunc terminationis metaschematismum paronymiae quae dicitur debuerunt. apertius vero deminutivorum similem apud eosdem poëtas habitum prae se ferunt περονίς, στολίς, στροφίς, quae vulgo pro deminutivis venditantur. ac primum quidem περονίς 'fibula' (Soph. Trach. 921) non differt a primitivo suo. deinde στολίς · Eur. Bacch. 929 ζῶναί τέ σοι χαλῶσι κοὐχ ἑξῆς πέπλων | στολίδες ὑπὸ σφυροῖσι τείνουσιν σέθεν · cf. idem Phoen. 1515 στολίδα κροκόεσσαν. Hel. 1372 στολίδες νεβρῶν παμποίκιλοι, neque recentiorum poëtarum, qui in vulgaribus lexicis laudantur, usus pro deminutiva certat significatione. derivata denique quae inde evasere nomina στολιδωσαμένη (Eur.), στολιδωτός (Xen.) perspicue monstrant certam fuisse, qua cum primitivo fere adaequaretur, significationem. postremo στροφίς apud Eur. Andr. 719 πλεκτὰς ἱμάντων στροφίδας est de habenarum loramentis: cf. Lobeckii proleg. p. 460. consilio autem omisimus ἀμίς, quae vox apud Aeschylum Suppl. 842 (D.) admodum controversa est (cf. ad h. l. Hermannus), et βαθμίς ibid. 876 adeo incertum, ut ne recipere quidem in lexicon voluerit Wellauerus. praeter haec commemoranda saltem sunt duo illa Aeolicae dialecti: ὀρτάλιχος, quod Blomfieldius ad Aesch. Ag. 53 deminutivum dicit provocans ad Eustathium Il. I 753, cf. schol. Theocr. 13, 12 et eundem 4, 20, ubi is Aeolensium fuisse dicitur hypocorismus, et Koenius ad Greg. Cor. p. 233. tum ἀρύστιχος, quod quidem ab Hesychio e Sophocle allegatur, huius vero fuisse poëtae incompertum esse ait Ellendtius in lexico. deni-

que ὀβρίκαλα, catuli, apud Aeschylum Ag. 140 et secundum Aelianum H. A. VII 47 apud Euripidem non magis deminutivum est quam κνώδαλον iam Homero notum. cf. Hesych. κνώδαλα γάρ ἐcτι τὰ ἐν ἁλὶ κινούμενα· Ὅμηρος δὲ ἐπὶ χερcαίων φηcίν. nemo vero orationis tragicae tenorem a Sophocle: φυcᾷ γὰρ οὐ cμικροῖcιν αὐλίcκοιc ἔτι haud dubie iocante violatum esse contenderit, quippe quae fabula, ubi ille versus legebatur, satyrica fuerit, in qua deminutiva esse potuisse per se intellegitur. cf. ex Euripidis Cyclope ἀνθρωπίcκε, δεcποτίcκε, Κυκλώπιον, alia. hae igitur qualescumque sunt voces legem, qua epici et tragici poëtae deminutiva plerumque vitaverint, vix labefactabunt.

III.

NOMINA IN -ΙΟΝ CADENTIA GENERATIM DESCRIBUNTUR.

In constituenda lege nominuum trisyllaborum, quae supra p. 186 in medio proposuimus, quo clarius perspiciatur norma, veterum technicorum praecepta referre perutile est. huc pertinent quae praecepit Eustathius ad Il. VII 231 de vocabulo οἰκία: τοῦ δὲ οἰκία, inquit, ὅ ἐcτιν οἴκου, ἰθεῖα μὲν τὸ οἰκίον[7]), ὅθεν παρὰ τοῖc ὕcτερον ὑποκοριcτικὸν οἰκίδιον κατὰ τὸ ἄργυροc ἀργυρίδιον.[8]) atque apte ad significatum idem ad Il. XII 168 ὅρα δὲ τὸ οἰκία καὶ δόμον ἐπὶ cμηνῶν εἴρηκε ποιητικώτερον . . ἰcτέον δὲ ὅτι ἐν τούτοιc δόξαι ἂν ὑποκοριcμὸc εἶναι τῶν οἴκων τὸ οἰκία. ὅτι δὲ Ἀιδου οἰκία εὐρώεντα (Il. XX 65) λέγει, ἀλλ᾽ ἐκεῖ οὐκ ἔcτιν ὑποκοριcμὸν νοῆcαι, ἀλλὰ φανερὰν παρωνυμίαν. eam vero ipsam p. 1198, 8 idem dicit παραγωγήν. ceterum ea vox etiam Ionum fuit, cf. Herod. VI 67 et Luc. de dea Syria 20. haec paronymia sive paragoge in illis aperta est nominibus, quae potissimum cum epicorum usui fuerint peculiaria, hic accuratius expedientur.

Ac primum quidem ἑρκίον, quod praeterquam quod nusquam figurate usurpatum invenitur, cum ἕρκοc significatu plane congruit, a scholiasta ad Soph. Ai. 106 προπαροξυτόνωc signatum (cf. Eust. 1829, 52) haud inepte a scholiasta ad Dionysium Thracem 792, 29 cum ἀγγεῖον comparatum: καὶ τὸ ἀγγεῖον οὐχ ὅτι ἄγγοc περιέχει, ἀλλ᾽ αὐτὸ τοῦτο τὸ ἄγγοc ἀγγεῖον λέγεται ἐκ τοῦ ἄγγοc ἄγγεοc ἐτυμολογούμενον, ἀγγέϊον καὶ cυναιρέcει ἀγγεῖον . . τὸ γὰρ ἄγγοc ἀγγέϊον ἴcωc ἂν ῥήcῃ (scr. ἂν ῥηθείη) ὡc διὰ τοῦ τείχεοc τειχέϊον (adde τειχίον) καὶ ἕρκοc ἕρκιον (scr. ἕρκοc, ἑρκέϊον, ἑρκίον). nam idem non ita multo post ἑρκίον παροξυτόνωc scriptum in medio proposuit. Suidas denique, qui ἑρκεῖον distinxit ab ἑρκίον, haud dubie de

7) singularem numerum semel modo legimus in Anth. Pal. VI 203 Αἴτνηc παρωείῃcι (cf. Lob. Phryn. 712) Cιμαίθου πατρὸc | ἔχουcι δινήεντι ὑγρὸν οἰκίον, ubi deminutivum videtur esse, qua vi pluralis quoque reperitur apud Antiphilum Byz. Anth. Pal. IX 121 οἰκία δειλά — unde fortasse Suidas: οἰκίον, τὸ μικρὸν οἴκημα. 8) haec potius ab ἡ οἰκία et τὸ ἀργύριον flexa esse tertia syllabae longitudine cognoscitur. cf. infra.

adiectivo cogitavit, quod Hermannus ad Soph. Ai. l. c. in ἑρκείου στέγης restituit.

Deinde θηρίον in Etym. M. 195, 41 cum Latinorum *bestia* collatum: τῷ θηρὶ παρωνυμεῖσθαι ait Eustathius 1673, 17. hoc et Homeri est et rarissime tragicorum[9]), ut Aesch. Cho. 203, a quorum poëtarum usu abhorrere dicit Hermannus ad Soph. Ant. 344. primitivum eius raro invenitur apud Atticos, ut bis apud Plat. Soph. 235[a], de re publica 559[e]. verum non bestias solum sed quaevis animalia a citerioribus scriptoribus θηρία vocata fuisse videre licet ex Strabone αἱ ἶπες.. θηρία dicente, h. e. animalia nihil noxia. cf. Eust. 1653,77, qui et ipse 1055, 35 eundem usum etiam Atticis concessit: cf. Xen. Comm. I 3, 13 et Eupolis in Bekkeri anecd. I 26. quin etiam Antiphon sec. Etym. M. dixisse fertur ἄνθρωπος ὃς πάντων θηρίων θεαιδέστατος γέγονεν. neque quisquam ignorat oratores Atticos hoc vocabulo usos non semel ita maledixisse adversariis suis. ergo nihil deminutionis quaeratur ex Xen. Cyr. I 6, 39 ἐπὶ τοῖς πάνυ μικροῖς θηρίοις. Ages. 9, 59 θηρίων τῶν ἀσθενεστάτων. Theocr. 19, 16 τυτθὸν θηρίον, idque nomen in certam definitamque abiisse significationem luculenter probant derivatae quae inde ortae sunt voces.

Tum ἰνίον singulari numero usitatum a Polluce II 39 explicatur: τὸ δὲ κατόπιν ἰνίον, διότι ἀπ' αὐτοῦ αἱ ἶνες ἐκπεφύκασιν. cf. Eust. 216, 38. 877, 11. 1680, 18. Et. M. 120, 37. Hes. s. v., cuius tamen loco Plato (Tim. 78[d]), ut idem significaret, ad primitivum (ἰνῶν) regressus est, Homerum ut videtur secutus, qui non pluralem modo ita posuerat, sed etiam singularem ἶνα (Il. XVII 520) eodem atque alibi ἰνίον significatu.

Item κρανίον semel Homero usurpatum certam accepit significationem, ita ut inde in primitivi modum propagarentur eiusdem stirpis propagines. Eustathius per syncopen ex κάρανον κρᾶνον factum existimat, pro quo acutius Pollux II 42. Et. M. 534, 32 καράνιον unde κρανίον. accentus vero locus cum in Et. M. l. c. tum in nostris libris vacillat, ut in Anth. Pal. modo κράνιον (XI 288) modo κρανίον exaratum est. ceterum universe regnat proparoxytonesis: cf. Eust. l. c. Pollux II 38. VI 51. aliter se habet syncope, quam suscepisse observat grammaticus quidam in Et. M. 493, 13 μῆρα et σῖτα ex μηρία et σιτία.

Horum porro nominum est πηνίον, quam vocem Dammius in lexico Homerico ab adiectivo nescio quo repetit. μετωνύμως autem ita dixisse Aristophanem culicum quoddam genus refert Athenaeus XV 667[f].

Harum vocum agmen claudit τειχίον. Ἀττικοί, inquit Hesychius, τὸν περίβολον τοῖς χωρίοις. ὁ δὲ Ὅμηρος τεῖχος μὲν τὸ τῆς πόλεως, τειχία δὲ τὰ τῆς οἰκίας. cf. Thomas Mag. s. v., Ammonius de diff. verb., Moeris Atticista, ubi v. interpretes. neque vero indigemus cautione Eustathii, quo minus apud Homerum deminutivum iudicetur, obstare illic attributum μέγα statuentis. namque potius per amplificationem, quam in

9) quod fragmentum ex tragico aliquo affert Eusebius praep. ev. XIII 13, aperte spurium est.

plerisque huius generis vocibus inesse videbimus, de parietibus et qualicumque muri alicuius ambitu et universe de propugnaculis valebat, ut Thuc. VI 66 τῇ μὲν τειχία τε καὶ οἰκίαι εἶργον καὶ δένδρα καὶ λίμνη, παρὰ δὲ τὸ κρημνοί. VII 81 ἀνειληθέντες γὰρ εἴς τι χωρίον, ᾧ κύκλῳ τειχίον περιῆν, indeque de parietinis (gemäuer) idem vocabulum apud Aristophanem Vesp. 1109 Athenienses litium avidissimos ridentem derisosque cum vespis comparantem per examina collectis, in diversa alvearia migrantibus: ξυλλεγέντες γὰρ καθ' ἑσμοὺς ὡσπερεὶ τἀνθρήνια, | οἱ μὲν ἡμῶν οὗπερ ἄρχων, οἱ δὲ παρὰ τοὺς ἕνδεκα, | οἱ δ' ἐν Ὠιδείῳ δικάζους', οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις | ξυμβεβυσμένοι —. nam ad parietinas nidum facere vespas Aristoteles H. A. V 17, 15 memorat: οἱ δὲ σφῆκες . . τὰ φαλάγγια ἀποκτείναντες φέρουσι πρὸς τειχίον ἤ τι τοιοῦτον τρώγλην ἔχον· et idem infra de eadem re τειχία, itemque Xenuphon de equis ad currendum exercitandis π. ἱππ. 3, 7 τειχία ὑπερβαίνειν, unde Mag. eq. 6, 5 τειχί' ὑπερακρίσαι μεμελετηκὼς ἵππος recte emendavit Brodaeus pro τείχη ὑπ., indeque de muri, ut modo dixi, lorica Lucianus pisc. 47. Diod. Sic. XVI 12 et quasi esset deminutivum in Anth. Pal. IX 378 — τὸ δὲ σαθρὸν ἐκεῖνοι | τειχίον ἐξαίφνης εὐθὺς ἔκειτο χαμαί. Tryphon autem cum dissimili nomine κλειδίον componens nominavit ὑποκοριστικὸν secundum schol. Il. IX 146.

Eiusdem quamvis inaequali accentu census sunt ἴχνιον ex scholio Il. XVI 739 μετώπιον . . ὥσπερ ἴχνος ἴχνιον καὶ ὅρκος ὅρκιον παραγώγως. de eius accentu quaerit idem ad Il. XIII 71 τὸ ἴχνιον προπαροξυτόνως ὁμοιοτόνως τῷ ἀράχνιον (scr. παίγνιον secundum alterum schol. l. c.)· οὐ γάρ ἐστιν ὑποκοριστικὸν ἀλλ' ἀπὸ ῥήματος ἐσχημάτισται, puta ἴξω, quod in Et. M. probatur, non ἄϊξω, quod in eodem Et. M. 482, 50 editum est. at praestat paronymia. quod ad usum attinet, apud Homerum non invenitur nisi plurali numero, unde Plato Phaedr. 84, 4 (Bk.) si ex Homero τοῦτον διώκων κατόπισθε μετ' ἴχνιον ὥστε θεοῖο memoriter dixit, vocis forma lapsus esset, nisi duo codices haberent μετ' ἴχνια: cf. Od. II 406. III 30. epigrammatistae contra, ut IV 4. 84. V 58, singularem crebro usurparunt. ab Atticorum usu id excludendum videtur. nam uno Xenophontis loco (Anab. I 6, 1), ubi in vulgaribus editionibus legitur ἐντεῦθεν προϊόντων ἐφαίνετο ἴχνια [10]) ἵππων καὶ κόπρος —, emendandum cum aliis puto ἴχνη, ut Lucianus Philop. 12 ἐς τὰ τῶν μακάρων ἴχνια scribens, nisi epici sermonis nitorem affectavit, communi dicendi genere exciderit.

Porro ἀέθλιον significatione non differt ab ἄεθλον. illud dactylici rhythmi caussa formatum eandem secutum est analogiam atque ἐλώρια (Il. I 4), μηρία, θεμείλια, quamvis simplicior forma θέμειλα multo sit recentior. pariter explicandum videtur ἐδέθλια apud Apollonium Rh. IV 530 et post eum apud Nonnum. tum ἀράχνιον in Et. M. 135, 7 a

10) apud Homerum Od. XIX 436 scribendum videtur ἴχνι' ἐρευνῶν pro ἴχνη ἐρ. ex loco Il. XVIII 321 ἴχνι' ἐρευνῶν. cf. Hermannus ad hymnum in Merc. 76.

verbo ἀράccειν repetitum non modo Homeri, sed etiam posteriorum scriptorum proprium significat textum araneum, uti apud Aristotelem π. ζ. 39, 30 (Bk.) δύνανται δ' ἀφιέναι οἱ ἀράχναι τὸ ἀράχνιον εὐθὺς γενόμενοι. eodem tamen vocabulo deminutivi instar usus est idem Aristoteles H. A. V 27, qua in re comparandum videtur cum φαλάγγιον, cuius primitivum[11]) etiam de animalculo dicebatur, cuiusque formationis ratio a paronymia, quae dicitur, petenda esse videtur. his vocibus adnumerandum esse πεδίον suo accentu conspicuum, analogia probatur. id enim ampliorem primitivo suo nactum significationem, ut a πέδιον deminutivo distingueretur, irrationali accentu notatum esse fertur: cf. Et. M. 658, 13. ad usum quod attinet, τὸ ἀληθείας πεδίον figurate dictum a Platone Phaedro p. 212[b] idemque exscriptum ab auctore Axiochi p. 624, 13, quam late eius vocis patuerit potestas, declarat.

Proxima huius generis et ipsa paronyma post Homerum usurpata sunt: κηρίον· τῶν μελιccῶν καὶ πλακοῦντος εἶδος secundum Hesychium. ad priorem explicationem pertinet Ar. Thesm. 506 τὸ δ' εἰcέφερε γραῦς ἐν χύτρᾳ τὸ παιδίον, | ἵνα μὴ βοῴη, κηρίῳ βεβυcμένον. cf. Hes. Theog. 59. Ar. Eccl. 32. hymn. Merc. 55, ubi num. plur. est. derivata quoque κηριοκλέπτης, κηριοποιός, κηριοειδής certam voculae vim satis comprobant; quamvis apud Platonem Tim. 35 κηροειδής expressum sit contra Herodotum (II 92), qui cum rei speciem descripserit, forma derivata utebatur: ἐξ ὧν ὁ καρπὸς ἐν ἄλλῃ κάλυκι παραφυομένη ἐκ τῆς ῥίζης γίνεται, κηρίῳ cφηκῶν ὁμοιότατον.

Deinde φορτίον, cuius accentus ratio excussa est in Et. M. 457, 18, quin in primitivi φόρτος locum successerit non multum afuit. nec Thomas Mag. ἀγώγιμα κάλλιον ἢ φορτία — nec Moeris φόρτος Ἀττικῶς, φορτία Ἑλληνικῶς ad communem respexere usum, sed aptius Pollux I 99 τὰ ἐντιθέμενα ταῖς ναυcὶ φόρτοι, φορτία, modo adiecisset φορτίον. quamquam enim apud Hesiodum ἐκῆ. 641. 691 bis legitur pluralis, pervulgatus tamen est derivatae vocis singularis, ut Ar. Plut. 358 τουτὶ πονηρὸν φαίνεται τὸ φορτίον. cf. id. Ach. 212. 967. Xen. lex. Sturz. Dem. in Lacrit. 929. Strabo vol. VI p. 142 (Tzsch.). Diod. Sic. I 11. Luc. var. hist. 1, 31. 34. Asin. 29. hanc vero exemplorum copiam consilio excussimus, ut nonnullorum refelleretur error docentium derivati nominis pluralem singulari esse crebriorem. immo scriptorum qui nunc supersunt usum respicientibus probari potest φόρτος singulari modo numero usitatum pluraliter dicendum alteri loco cessisse, ut apud Strabonem vol. III p. 260 (Tzsch.) pro φόρτων emendandum arbitremur φορτίων: cf. Ar. Ach. 907. Herod. I 1. Demosth. c. Phorm. 908.

Tum φελλίον. quod in Timaei lexico est φελλία· χωρία λεπτόγεια pluraliter tantum usurpatum (cf. Xen. lex.) haud scio an corruptum sit ex φελλεῖα, quam ad correctionem ducit quod exstat primitivum φελλεύς: cf. infra.

11) cf. Eust. ad Il. XIII 126 p. 924. Plin. N. H. XXIX 4.

Tum φυκίον a schol. Il. IX 7 explicatum: φῦκος τὸ χορτῶδες τῆς θαλάσσης ἀπόβλημα. οἱ δὲ φυκία βοτάνην τὴν ἐν τῷ βύθῳ τῆς θαλάττης γινομένην. cf. 801, 50. aptius schol. ad Il. XXIII 693: φῦκος δή ἐστιν ἤτοι ἡ ἄχνη τῆς θαλάττης ἢ πόα παραθαλασσία οὕτω καλουμένη — quae eadem verba paulum mutata leguntur in Et. M. 70, 21, ubi φύκιον proparoxytone scriptum est contra canonem, qui ib. 451, 18 explanatur, vocibus inter se natura dissimilibus φορτίον, κλειδίον, φυκίον compositis: cf. Hesychius et Suidas. Homerus qui φυκιόεις uti λειριόεις ad dactyli rhythmum modulans usurpaverat, derivato non concessit locum, quo primus usus est Theocritus 7, 58, tum poëtae Anthologiae, inaequabili vero accentu: φυκία IX 663, φύκια VI 637 ed. Iac. eadem accentus inconstantia est apud Lucianum bis acc. 31 ed. Hemst. φυκία parox. signatum, φύκια proparox. in libro de conscr. hist. 8. porro ἀκροθίνια, cuius paronymum ἀκρόθινα Pindarus Ol. 11, 19 praestat. tum ποίμνιον ab adiectivi profectum notione esse diceudum foret, si approbaremus quae leguntur in Et. M. 678, 54, id natum esse vocabulum per syncopen ex ποιμένιον, cuius adiectivi species servata est in Anth. Pal. VI 73. IX 324. frequentissimus est et primitivi et derivati usus apud tragicos solutaeque orationis scriptores. deinde φρούριον, quod ad deminutivorum normam scriptum legitur in Aeschinis epistula XII p. 698, scilicet propterea quod cum μικρὸν coniunctum est. hoc in Et. M. ad verbum φρουρεῖν revocatur. at probabilius dicitur paronymum vocis φρουρά. hoc tragicorum usu nobilitatum in pedestri qui dicitur sermone crebro recurrit. eandem speciem prae se fert λούτριον, quod Aristophanis est Eq. 1401. Heroum fr. 3. Luciani Lex. 4. cf. Pollux I 67. X 78.

Porro ἀκόντιον, quo primus usus est auctor hymni in Mercurium, postea in primitivi locum cessit, ut ἱμάτιον, ψυδράκια, alia, de quibus infra.

ἀνθέμνιον ab Hesychio et Suida ἐκλεκτὸν χρυσίον explicatum apud Xenophontem de notis quae floribus similes sunt coloratis iisque in cutem incisis.

βράγχιον (hoc accentu) Arist. Il. A. II 9, 4. βραγχία ibid. I 4, 1 ed. Schneid. contendit interdum de loco cum βραγχεῖα: cf. Tzschuckius ad Strabonem vol. VI p. 444.

κλυδώνιον deminutivum vulgo iudicatum ab eius significatu multum discrepat. Aesch. Sept. c. Th. 777 πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ τε καὶ κλυδωνίῳ. Cho. 183 κἀμοὶ προσέστη καρδίας κλυδώνιον χολῆς. cf. Suppl. 785. item Euripides Hec. 48 de fluctu qui Polydori corpus ad terram allueral: φανήσομαι γάρ, ὡς τάφου τλήμων τύχω,| δούλης ποδῶν πάροιθεν ἐν κλυδωνίῳ.[12]) Hel. 1209 de morte naufragio facta: οἰκτρόταθ' ὑγροῖσιν ἐν κλυδωνίοις ἁλός. eodem modo Thucydides II 24 de turbulentissima tempestate: καὶ τὰς κώπας ἀδύνατοι ὄντες κλυδωνίῳ ἀναφέρειν ἄνθρωποι ἄπειροι τοῖς κυβερνήταις ἀπειθεστέρας τὰς ναῦς παρεῖ-

12) cf. schol. κλυδώνιον· τὸ κῦμα τῆς θαλάσσης, ὃ παρὰ τῷ αἰγιαλῷ εὐδίας οὔσης ἐπικλύζεται.

χον. recentiorum scriptorum Strabo vol. VI p. 48. eiusdem paragogae sunt κογχύλιον Herod. II 12, Sophron apud Ath. III 86ᵉ, Aristnt. t. II p. 820 (Bk.), θερίςτριον Theocr. 15, 169: cf. schol. Ar. Av. 775. Hes. χερνίβιον Attice pro χέρνιβον: cf. Ath. IX 408ᶜ, ubi Andocidis (4, 29) auctoritas allegatur: cf. Wolfius ad Lept. p. 376. eiusdem notae videtur esse ὀξυβάφιον, acetabulum, non diversum ab ὀξύβαφον: cf. Antiphanes ap. Ath. X 446ᵇ. Pollux X 67. pariter κυάθιον δι' ἀργύρου Poll. VI 105, pro quo Meinekius Com. fragm. II p. 298 correxit κύαθον ἀργυροῦν: cf. Ath. X 424ᵇ.

Tum ςιςύμβριον Ar. Av. 160, cuius scholiasta interpretatur: ςιςύμβρια· φύλλα οἷς ἐςτεφάνωτο (scr. ἐςτεφανοῦτο) ὁ νυμφίος. tum κιχώριον sive κιχόριον, λεπύριον, ψιμύθιον (cf. infra), unde primitivorum instar aliae natae sunt voces. ἀψίνθιον, cuius simplicior forma ἄψινθος legitur in N. T., ὄςπριον cuius prototypon ὄςπρον reservavit Hesychius. denique δοκίμιον Hippocrates 490 (Foes.), pro quo Bekkerus apud Platonem Tim. 65ᶜ ex codicibus rescripsit δοκιμεῖον. ceterum non raro in libris apparet terminationum -ιον et -ειον[13]) confusio, ut ματρύλλιον pro ματρυλλεῖον, καςαύριον sive καςάλβιον pro καςαυρεῖον, ςκαφίον (hoc accentu) pro ςκαφεῖον, de quo infra fusius disputabitur.

Huius loci etiam sunt illa iudicialia a Lobeckio ad Phryn. p. 517 dicta pro rei natura genetivi fere casu in usum publicum recepta: ἀγαμίου (δίκη), ὀψιγαμίου, ἀδικίου (Her.), ἀνδροληψίου, κακηγορίου, λειποταξίου. sic postulatur λειποςτρατίου, cuius tamen nominativus λειποςτράτιον legitur apud Thuc. I 99, nisi forte pro eo, quod ib. VI 76 invenitur, λειποςτρατία emendandum est, quamvis in Anecd. Bekk. 436, 30 ἀποςτάςιον, λειποςτράτιον uti vernacula vocabula citata reperiantur.

Hic porro non sunt praetermittenda quae iam diu occupata sunt a summo viro ad Phrynichum l. c. synonyma illa in -ιον et -ια significatione aut paullum differentia, ut ἐπωνύμιον, θεοπρόπιον (Hom.), μαρτύριον[14]), ἀρκυςτάςιον (Xen.), παραμύθιον, ἱςτόριον, κυνήγιον, κυνηγέςιον, ςκαμμώνιον, ςυςςίτιον[15]) alia, aut ita comparata, ut nomina feminina eorum prototypa existimari nequeant. sic βουκόλιον, quo primus Herodotus usus est, quominus a βουκολία iam Hesiodo noto repetatur, impedimento sunt αἰπόλιον, βουφόρβιον, ὑοφόρβιον, ςυφόρβιον, ποιμανόριον. etenim inveniuntur quae quidem aperte sunt denominativa, significatione tamen ab iis eo disiuncta, quod uti in re medica earum rerum quas primitiva significant, potiones denotant, partim dittographia in codicibus conspicua, ut φαρμάκια pro φαρμάκεια ex codd. scripsit Bekkerus apud Platonem Theaet. 190, 18: cf. Hippocrates I 48 Foes. Callicter Anth. Pal. XI 333. μελίτιον pro μελίτειον: cf. Plut. Cor. 3. Symp. 4, 6, partim constanter in -ιον expressa, ut

13) de periecticis in -ιον terminatis, ut ςτρατήγιον, ἀνθρήνιον, ὀπτάνιον, aliis vide infra. 14) ψευδομαρτύριον Cratinus fragm. CXXI.
15) καθέδριον (sessula) deminutivum est vocis καθέδρα apud posteriores Graecos.

βαλάνιον, ὄπιον, μηκώνιον, συκίον, φάκιον, ὀμφάκιον, quae pleraque in deminutivorum numero haberi solent.

Hinc facile facta est via iis quae per huiusmodi metaschematismum concretam, ut aiunt, nacta sunt potestatem: εὐαγγέλιον, ὁδοιπόριον (Hom.), βασκάνιον (cf. Lobeck ad Phryn. p. 86), ἀγώγιον (Xen.), διδασκάλιον, μετοίκιον, ναύαγιον, γεώργιον (ager, Theagenes ap. schol. Pind. Nem. 3, 21); ὀψώνιον, φρυκτώρια, χορήγιον, quae sua quaeque originatione ad significationis modum congruunt cum ζωάγρια, μοιχάγρια et fortasse cum ἀνδράγρια. abnorme tamen est βοάγριον ad vocem βῶν significatione assimulatum. cum illis faciunt τεμενικά in -ιον desinentia, de quibus Lobeckius ad Phrynichum luculenter disputavit et deorum dearumve simulacra, ut Παλλάδιον. verum γυμνάσιον si cum γυμνασία comparatur, ex iis quae modo explanata sunt formae habet rationem.

Iam aggredimur ad ea nomina in -ιον quorum principia ab adiectivorum natura derivanda sunt. horum species clara est in iis vocibus, quarum integra notio ut percipiatur nomine aliquo quod mente addendum est efficitur, ut ὑπερῷϊον sc. οἴκημα, κυδώνια. στρούθια sive στρούθεια sc. μῆλα, ζεφύρια sc. ᾠά, θύννια sive θύννεια, τραχήλια, σκυλάκια (Hippocr. I 337 Foes.) sc. κρέα, ῥαΐδια sive ῥᾴδια sc. ὑποδήματα (Plato comicus et Pherecrates apud Poll. VII 94). at adiectivorum neutrum genus iam per se eam potissimum vim exhibere potest, ut substantivi notio animo obversetur, ut Homericum χερμάδιον, quod vulgo pro deminutivo venditatur, uti χειμάδιον, σελάχια, animalia cartilaginea (cf. Plato comicus apud Ath. VII 315ᵉ, Luc. Lexiph. 6) pro quo σελάχεια[16]) apertiorem adiectivi prae se fert formam: cf. Opp. hal. I 672. huc pertinent quae corporis partium tegumenta significant: προμετωπίδιον, προστερνίδιον, προσωπίδιον (cf. infra), eaque plerumque pro deminutivis habentur; tum περιστερίδιον, κορανίδιον, μηρίδιον, μοιχίδιον, μητρίδιον. nemo igitur de natura nominum ξείνιον, ῥύσια, μείλια[17]), quamvis Thryphon (schol. Il. IX 176) de accentu quaesierit, disceptabit. neque quicquam offerunt dubitationis αἴτιον, ἔριον, αὔλιον, ὅρκιον, ὅριον, κόσμιον, στάθμια, de quorum usu in lexicis parum explanato hic copiosius exponatur.

Ac primum quidem αἴτιον cur Schneiderus ad Aristot. H. A. XI 1 paroxytone scripserit, non satis liquet, ab Hippocrate t. I p. 29 (Kühn) plus semel usurpatum, Atticis substantivi loco (Thuc. VIII 9) rarius celebratum, recentiorum scriptorum creberrimum invenit usum, ut κόσμιον, τίμιον, de quibus infra.

Tum ἔριον Od. IV 124, εἴριον[18]) Il. XII 434, cf. Schaefer ad Greg. Cor. 642, numero plurali ionica modo pronuntiatione pervulgatum. id non singulari tantum ut Herod. I 23. Plat. de re p. III 298 cet., sed frequentius plurali numero in communem receptum est usum: cf. Ar. Eccl. 215.

16) ἀργύρια (argentifodinae) corruptum est ex ἀργύρεια: cf. Xen. Comm. II 5, 2. 17) μείλιον Apoll. Rh. III 135. 18) εἰρίον Hippocr. t. II p. 202, at εἴρια id. II p. 608 (Kühn).

Ach. 1177, neque recte dicitur deminutivum nominis εἶρος, quod in Odyssea non semel legitur, sed potius ab adiectivi profectum est initiis, ut inde primitivi instar orta sint ἐριοπωλικῶς, ἐριοφόρος.

Porro ὅρκιον minus accurate a Buttmanno in lexilogo II 5 tractatum apertissime est adiectivum. singularis, quem Buttmannus Homero abiudicat, semel li. IV 158 reperitur, bis apud Pindarum Ol. 11, 6 et Isthm. 4, 15, quo eodem numero Atticorum solus Thucydides VII 72 usus est. in tragoediis quae adhuc superstites sunt ter invenitur plur. Aesch. Ag. 1430. Eur. Suppl. 1258. Med. 730, idemque numerus bis apud Thuc. IV 19 et 52. oratorum Atticorum nemo nisi Lysias πολ. δημ. ἀπ. 1608 Rsk., ut praeterquam Ionici (Her. I 74) poëtici fere fuerit usus. nam apud Lucianum in vitarum auctione Pythagoreus quidam ὅρκια dicens Ionice locutus est.

Tum αὔλιον, quod Ellendtius in lex. Soph. αὐλίον ad deminutivorum normam scripsit, melius Passovius in lex. αὔλιον ad adiectivi formam. neque Harpocrationis scholium ἀντὶ τοῦ τὰς μικρὰς αὐλάς, αὔλια (hoc accentu) id facere potest momenti, ut vocis perspicuitas evanuerit. nam apud Sophoclem, qui de Philoctetae caula αὔλιον posuit, nulla est deminutionis nota: cf. Aeschines c. Ctes. 70, 31. Xen. Hell. III 2, 4. Suidas s. v. αὐλεία θύρα.

Tum ὅριον, cui cur deminutiva vis tribuatur, quae inde derivatis nominibus μεθόρια, προσόρια abiudicatur, ratio non perspicitur. haec res eo confirmatur, quod Atticorum scriptorum numerus non fuit nisi pluralis. sic apud Platonem de legibus VIII 842ᵉ γῆς ὅρια. Eur. Herc. fur. 82 γαίας ὅρια. Soph. Phrixi fr. 1 ὅρια κελεύθου. cf. Thuc. V 115. Plat. Menex. 240ᵇ. Lycurgus c. Leocr. 150. Andocides π. τ. μυστ. 79. Xen. singularem autem numerum apud citerioris aetatis scriptores saepius reperimus, ut apud Strabonem vol. I p. 253 Tzsch. Diod. Sic. XVI 32 cet. hoc vero nobis videmur observasse, ὅρια ab Atticis non fuisse dictum figurate, ut Lycurgum c. Leocr. 163, 24 non ita locutum fuisse arbitrer: τοῖς ὁρίοις τοῦ βίου pro τοῖς ὅροις (sic Dem. de cor. 324 τὴν δ' ἐλευθερίαν καὶ τὸ μηδένα ἔχειν δεσπότην αὑτῶν, ἃ τοῖς προτέροις (scr. πρότερον) Ἕλλησιν ὅροι τῶν ἀγαθῶν ἦσαν καὶ κανόνες, ἀνατετροφότες) neque probamus Diodorum Sic. I 55 dicentem: διόπερ ὅρια τῆς στρατείας ποιησάμενος. cf. id. VII p. 234 Wess. huius denique adiectivi species apertior est in ὁριοδεῖκται Et. M. 632, 32.

Deinde στάθμια vulgo deminutivis adscriptum ad deminutivorum accentum signari solet σταθμία. id pro rei ratione pluraliter tantum obvium, uti semel apud Lucianum vit. auct. 27 τί δαί σοι τὰ σταθμία ταυτὶ βούλεται; et apud schol. Pind. Ol. 13, 17 φησὶ δὲ ταῦτα, ἐπειδὴ Φείδων τις Κορίνθιος ἀνὴρ εὗρε μέτρα καὶ σταθμία — adiectivum esse inde sumpsimus, quod pro eo Cephisodorus στάσιμα dixisse fertur: cf. Meinckii fragm. Com. II p. 826. Pollux IV 132. X 126. horum analogiam sequitur μόριον, quod semel apud Euripidem Andr. 542 ἐπεί τοι | μέγ' ἀναλώσας ψυχῆς μόριον | Τροίαν εἷλον καὶ μητέρα σήν, per

periphrasin pro ψυχὴν μεγάλην lyrice positum communis fuit sermonis, ita ut deminutivi quae huic voci plerumque tribuitur, ubi ad aliorum scriptorum usum respicitur, notio haud vera sit. legitur quidem apud Thucydidem I 14. II 92. VII 96. VIII 48 ἐν βραχεῖ μορίῳ: cf. Plat. Hipp. mai. 417[e]. contra apud eundem Platonem Polit. 208[b] ὅτι μόρια οὐ σμικρά. ib. 280[a] μέγιστον μόριον. cf. Theaet. 205[b]. Soph. 229[b]. 257[d]. Phaed. 12[c]. Hipp. min. 283[a]. Crat. 285[a]. Phil. 52[b]. Her. II 15. VII 23. Dem. de cor. 247 etc. hinc partes orationis τὰ τοῦ λόγου μόρια ap. Dion. Hal. de comp. verb. t. V p. 7 Rsk. et pudenda tam virilia quam muliebria Et. M. 590, 36. Diod. Sic. t. I p. 28 etc. eius primitivum si quaeritur nomen, μόρος propter significationis discrimen esse nequit. id ergo vocabulum ab adiectivi notione profectum esse dicentes ne a vero aberraverimus non veremur.

Tum κόπριον (stercus) Hippocr. I 176 Foes., alibi plurali modo numero, ut apud Strabonem vol. VI p. 461. Anth. Pal. XII 234 frequentatum.

Porro λείριον ad deminutivorum legem λειρία signatum legitur in Anth. Plan. IV 1, 6. adiectivi proprietatem servavit in λείριον ἄνθεμον apud Pindarum Nem. 7, 116, alibi fere pluraliter usurpatum, cf. Luc. Bacch. 4. hymn. in Cer. 427. Apoll. Rh. II 879. inde Homericum λειριόεις inserta vocali ι formativa, cf. infra.

Tum λόγιον iam a lexicographis adiectivum iudicatum ad formam non differt a ῥόθιον, quod significatione, ne dicam forma haud dispar est voci κλυδώνιον, de quo supra, idque suam naturam aperit in κῦμα ῥόθιον apud Homerum. cf. Et. M. 705. absolute veluti substantivum positum legitur apud Thuc. IV 10 φόβῳ ῥοθίου, quem ad locum observat schol. ῥόθιον δέ ἐστιν ὁ ἦχος τῆς εἰρεσίας.

Tum στάδιον a Lobeckio ad Buttmanni gramm. II p. 441 adiectivum declaratum natura sua non differt a σφάγιον, quod ab Hesychio, Phavorino πρόβατον, θῦμα explicatum numero singulari semel legitur in Anth. Pal. VIII 51, plurali apud Her. IX 61 et alios creberrime. pariter τόμια: cf. Vigerus p. 615 Herm. τίμιον singulari numero recentiorum scriptorum usu frequenter tritum, ut Diod. Sic. III 8. Luc. encom. Dem. 32. Anth. Pal. XI 663, plurali iam a Pindaro Nem. 1, 6, aeque ac φώρια apud Luc. Herm. 38. Tox. 28, cuius adiectivi species cognoscitur ex Anth. Pal. φώριον — βλέμμα et φώρια — λέκτρα. nec dubitamus eandem tribuere naturam vocabulis δαιμόνιον, μελάνθιον Hippocr. I p. 667 Foes., quae herba et ipsa μελάνθιος πόα vocata est; et γύναιον perperam pro deminutivo venditato, cum Lobeckio ad Buttm. II 443. eiusdem census sunt duo ἐθνικά: σάρδιον apud Platonem et σαύνιον multo recentius. *Samnites* inquit Festi epitomator *ab hastis appellati sunt*, *quas Graeci* σαύνια *appellant*. rem videlicet a gente illa transferentes eodem nomine nominaverunt: cf. Tzschuckius ad Strabonem vol. VI p. 142. Reiskius in indice Dion. Hal. s. v.

Illius praeterea sunt generis μετόρχιον Ar. Pacis v. 560 a scholiasta τὸ μεταξὺ τῶν συμφύτων πεδίον, ἐν ᾧ σῖτος ἢ ἄλλο τι

ἔcπαρται explanatum, forma compar Homericis ἐνώπιον et μετώπιον, quamvis exstet μέτωπον, προνώπιον (Eur.), ὑπερθύριον, μεταίχμιον et iis quae posterioris fuerunt aetatis νεώριον, νεώλκιον sive νεόλκιον, ναυλόχιον, ἀγορανόμιον, ἀcτυνόμιον (Plato), ναυπήγιον, πολυάνδριον (Strabo, Plut.), cτεφανηπλόκιον (Strabo), ὑλοτόμιον (Str.), φυτούργιον (Diod. Sic. II 13), μεcοπύργιον sive μεταπύργιον, ἐπαύλιον, ἀμφίβια, ἐνοίκιον, βοτάμια (Thuc.) aliis. in medio relinquo ζώϊον sive ζῷον, quod si cum latino nomine *animans* comparatur, adiectivum est; at adiectivum ζωόc ab eo nimis longe distat. eadem notationis obscuritate involutum est ᾠόν: cf. Iacobsius ad Anth. Pal. 723.

Iam perlustranda sunt verbalia. horum species clara est in recentiore vocabulo προβόλιον, velamen: cf. Philostr. p. 306 Welck.; idem tamen e re nata deminutivum, venabulum (Xen. Cyn. 10, 3. 12). verbalia sunt porro δέμνιον, ἱcτίον, ἰcχίον, ὄγκιον, κλίcιον, cπηπάνιον Homeri, ἀρδάνιον, ὅλκια, ὄργιον, ἐρείπιον, πτυκτίον sive πύκτιον posteriorum scriptorum. ac primum quidem δέμνιον apud Pind. Nem. 1, 3 (δέμνιον Ἀρτέμιδοc) singulari[19] numero nobilitatum ab Homero et Sophocle pluraliter tantum dictum est.

Deinde ἱcτίον in Et. M. 478, 24 ὄνομα ῥηματικὸν dictum perinde atque ἱcτόc ab ἱcτάναι deducendum. tum ἰcχίον a Suida ab ἴcχειν repetitur: παρὰ τὸ ἴcχειν τοὺc καθημένουc: cf. Eust. 550, 10. 716, 35. Et. M. 478, 56. at erit fortasse qui id vocabulum eandem inisse dicat rationem cum ἰcχύc, quae sit inter ἶνα et ἰνίον. neque mirum quod e re nata uterque huius vocis numerus usurpabatur, singularis Hom. Il. II 305 cet., pluralis fere apud Atticos, cf. Plat. Tim. 75[e]. Phaedr. 254[e], unde apud Aristotelem H. A. III 44 εἰc τὸ ἑκάτερον ἰcχίον et apud Aelianum N. A. VII 8 ἰcχίον τὸ δεξιόν. tum ὄγκιον semel Hom. Od. XXI 61 a Buttmanno lexil. I 288 ab ἐνεγκεῖν acute repetitum: cf. Pollux X 165.

Denique κλίcιον, cuius vocis explanatio Dorotheum Ascalonitam totam per vitam occupavisse dicitur (cf. Spohn l. c.). 'est igitur' inquit Spohnius 'κλίcιον vox cognata voci κλιcίη aut huius aut vocis κλίcιc, unde κλιcίη quoque derivatur, deminutivum.' at quoniam a nominibus appellativis pure flectendis deminutiva in -ιον cadentia non solent formari, verbale potius est dicendum κλίcιον, cuius loco qui κλιcίον paroxytone scripsere, permiscuerunt cum κλειcίον[20]) (v. Draco p. 57) ad κλείειν revocandum: cf. interpr. Dem. de cor. 271. Lys. c. Eratosth. 121. contra apud Homerum (Od. XXIV 260) prima huius vocis syllaba correpta est.

Postremo cκηπάνιον, ἀρδάνιον syllaba αν formativa aucta a cκήπτειν, ἄρδειν originem traxere aeque ac cπαθάλιον, quod mire deminutivum nominatur, a cπάθη, et ἐδώλιον ab ἕζεcθαι, cf. Et. M. 317, 5. πηδάλιον autem denominatum fuisse videtur a πηδόν.

Post Homerum in usum venerunt ὅλκια ex Sophoclis Ναυπλίῳ a Polluce X 34 citatum et πηδάλια explicatum, quod et ipsum ad Homericum ἐφόλκαιον assimulatum esse apparet. ab illo multum distat

19) cf. Eur. Alc. 181. Or. 219. Pierson ad Moer. p. 228.

20) cf. Eust. ad Hom. p. 830.

ὀλκίον corruptum ex ὀλκεῖον, ut κηρύκιον ex κηρυκεῖον, cf. Din. I 17. nam ὀλκεῖον est secundum Pollucem X 176 ἀγγεῖον ὑγρῶν τε καὶ ξηρῶν, Menandri et Philemonis memorem. cf. Polybius XXXI 4. Plut. Al. M. 20.

Deinde ὄργιον in Orphicis et apud Lucianum de dea Syriae singulariter dictum, alibi plurali tantum numero reperitur, ab ἑοργέναι repetendum. neque enim nobis ab I. H. Vossio ad hymnum in Cererem 273 id vocabulum ab ὀργή repetente persuaderi potest.

Denique ἐρείπιον plerumque pluraliter usurpatum comparari potest cum latina voce c a d a v e r.

Postremo πτυκτίον sive πυκτίον 'liber complicatus', cf. Schaeferus ad Greg. Cor. 28. Iacobsius ad Anth. Pal. p. 18. non pauca porro exstant nomina in eandem terminationem cadentia, quae non videntur habere aut nomina aut verba ad quae possint perspicue revocari. unus enim quisque κοσκυλμάτια apud Aristophanem legens de deminutivo a κόσκυλμα repetendo cogitabit, attamen frustra id nomen quaeritur; etsi concedendum est multa prototypa aut temporis iniuria aut quod casu aliquo a nullo scriptore usurpata fuerant, interiisse, id quod ex iis imprimis intellegitur vocibus, quae velut exauctoratae nullum habent testem nisi grammaticos vel antiquos lexicographos, ut ὄσπρον, ἀνθέμη, ψύδραξ, alia ab Hesychio servata. talia ignotae originis iam apud Homerum reperiuntur, ut ἄμνιον sive ἅμνιον[21]) quod in Et. M. 4, 40 ab αἷμα repetitur, deinde ἴκρια[22]) ib. 470, 33 ab ἱκνεῖσθαι ductum; ἤια ib. ab ἰέναι genitum dicitur; tum λήϊον, ἠρίον quod sunt qui ab ἔρα profectum velint, cf. Et. M. 437, 13. Harp. 170, 9, alii ut schol. Theocr. II 13 ad verbum ἐνηρίσθαι trahunt. aeque ἡνία Eustathius 1120, 127 ab ἐνοῦν deducit: παρὰ τὸ ἑνοῦν τοὺς ἵππους τοὺς ὑπὸ τῷ ἅρματι: cf. Et. M. 432, 17.

Sic origine omnino ignota sunt ἴσθμιον, cf. Piersonus ad Moer. 179 (Koch), λαισήια, κισσύβιον, οἰήιον, ἐπισκύνιον, cuius simplex σκύνιον Nicander (ther. 177) dicere ausus est.

Post Homerum usurpari coepta sunt ἄπιον, ἀμφίον (Sophronis fr. 70, Dion. Hal. 476, cf. Hesych. in Bekkeri anecd. παροξυτόνως scriptum), ἀντίον (Ar. Thesm. 828), ἦτριον, ἴτριον, καρχήσιον, κύβιον (Alexis), στόμιον, πέπλιον (Hippocr.), πλαίσιον, σίλφιον, σκύλια (Aristot.), φέρνιον sive φερνίον (Alciphr. Ael.), χέννιον (Anth. Pal.), χορίον (corium) sive χόριον, τρυβλίον accentu titubante, cf. Et. M. 544, 37. 654, 4. 784, 30 et Suidas s. v. ψάλιον s. ψέλιον, cf. Schaeferus ad Dion. de comp. p. 253. nominum igitur in -ιον desinentium, quoad eius fieri potuit, natura explorata, de vocabulorum in -ειον et -ηριον terminatorum, quibus partim deminutiva vis tribui solet, proprietate separatim iam dicendum est.

---

21) haec adspirata vox ob nomen αἷμα, ut originatio in oculos incurreret, ficta videtur. 22) ἰκρία ibi parox. scriptum est.

IV.

NOMINA IN -ΕΙΟΝ ET -ΗΡΙΟΝ TERMINATA PLERAQUE NON SUNT DEMINUTIVA.

Prava diphthongi ει pronuntiatione interdum accidisse, ut cum simplici vocali ι confunderetur, ut πόρθμιον cum πορθμεῖον, γαζοφυλάκιον (Str. t. II p. 437. t. V p. 595 Tzsch.), quod in E. M. 219, 28 θησαυροφυλάκιον explicatur, γραμματοφυλάκιον ap. Plut. Arist. 21 ed. Schaef. cf. Gaisfordii emend. Ant. ap. Stob. Flor. 124, 27 καταγωγεῖον corrigentis pro καταγώγιον, maxime intellegitur ex terminatione -ειον quam certae fere nominum classi adscriptam fuisse constat. atque Alexis apud Poll. X 100 ἀνθράκιον[23]) pro carbonum foculo ἀδιφθόγγως scribens non magis excusandus videtur quam Nicander (Ther. 738 ed. Schn.) σφηκεῖον *aranean venenatam* significans, et item Aristoteles H. A. 9, 41 quem secutus est Aelianus (H. A. 4, 39) cum σφηκίον pro *cella vesparum* usurpabant, uti idem Arist. (H. A. 9, 40) κηφήνιον de *fucorum cellis*. rei vero natura fert, ut περιεκτικὸν θωρακεῖον significatione paulum differat a θωράκιον, ut σωματεῖον a σωμάτιον et ῥωπεῖον a ῥώπιον, χαλκεῖον a χαλκίον, cf. infra.

In iis autem ne quis corruptionem suspicetur, impedimento sunt non tantum Aristophanis Vesp. 1080 ἀνθρήνια ὀπτάνιον cf. Lob. ad Phryn. 276, verum etiam Sophoclis στρατήγιον; tum quae dicuntur τεμενικὰ in -ιον exeuntia, de quibus Lob. ad Phryn. 577.

Iure igitur quaeritur, num Graeci usi fuerint in -ειον cadente hypocorismo. hanc ut deminutivam terminationem tuitus Spohnius I. l. p. 126 γραμματεῖον, πορθμεῖον, σκαφεῖον exemplorum caussa in medio proposuit, quae tamen singula non tam forma quam significatione a deminutivis longe distant. nam γραμματεῖον non semel cum γραμμάτιον confusum (cf. interpr. Antiph. 5, 54) haudquaquam ad deminutivi vim potest referri, cf. infra. deinde πορθμεῖον, sive est locus quo navis transmittitur sive vectura, ne speciem quidem prodit deminutivi, et σκαφεῖον, si deminutivum est, ex σκάφιον corruptum esse, infra demonstrabitur.

Idem statuendum est de iis nominibus quae in -ειον exeuntia in lexicis ut deminutiva prostant, ut ὀπήτειον, corruptum ex ὀπήτιον, cf. Iung. ad Poll. X 181, ἀσκεῖον cf. Hippocr. t. II p. 166 ed. Kühn. Crates ap. Hes. II p. 808. verum σελάχειον quo usus est Opp. Hal. I 1643 etiamsi idem valeat ac σελάχιον ut θύννια i. q. θύννεια, deminutiva caret significatione, cf. infra. atque recte scripsit Bekkerus apud Plat. de legg. τροπίδεια pro τροπίδια. sunt enim tabulae carinae (ξύλα τρόπιδος) non *carinulae*, ut interpres latinus. neque si quis recentiorum scriptorum κυμβεῖον pro κυμβίον dicere ausus est, cf. Lob. para-

---

23) cf. grammat. Bekkeri p. 404, 9 ἀνθράκιον βραχὺ τριποδίσκιον παρ' Ἀλέξιδι (cf. Mein. Com. frgm. II 10. 722) Suid. s. v. Ἀνθράκιον et Τρίπους.

lipp. t. I p. 32, 2, ideo rei, quae certae obsequebatur legi, perspicuitas sublata videtur. at voces ἀγγεῖον στοιχεῖον homonyma nominibus ἄγγος στοῖχος iniuria nominantur deminutiva. nec latet corruptio vocabulorum λόφιον (schol. Ar. Ach. 433. Nub. 748) et φύλλιον passim φυλλεῖον scripti et φελλία pro quo φελλεῖα emendandum esse supra p. 192 extr. diximus. illa autem quae cadunt in -ειον nomina tantum distant a deminutivis, quantum ἀργυρεῖον, χρυσεῖον, κυλικεῖον ab ἀργύριον, χρυσίον, κυλίκιον, cf. Schaef. et Bast. ad Greg. Cor. p. 508 sqq. apertior vero est aliqua corruptio in vocibus κούριον (cf. Isae. π. φιλοκτ. 58,21), γραφίον (Hipp. I 281. Foes. Enot. in lex. Hipp.), κάλλιον iudicium in urbe Athenis sec. Bekk. An. 269, 33. 270, 6, rectius fortasse κάλλειον apud Phot. p. 126 scriptum, atque στυπίον an στυπεῖον scribas, cum utrumque non discrepet a στύπιον (cf. Lob. ad Phryn. p. 261), incertum est. huius loci etiam sunt θύννιαι, στρούθια, σελάχια de quibus supra p. 195, cf. Lob. path. I p. 497.

Quantopere vero Graeci consuluerint formarum, quibus nomina distincta erant, perspicuitati, inprimis cognoscitur ex terminatione -ηριον[24]), qua deminuta fuisse nomina asseverat Spohnius l. l. p. 135. immo prudenter eam in formandis deminutivis flexionem aspernati sunt Graeci, cf. Lob. ad Phryn. p. 78. nam vocum in -ηριον cadentium licet maxima pars videatur possidere primitiva in -ηρ exeuntia, ab adiectivorum significatione profecta esse significatu comprobari potest. sic ποτήριον quod iam a nostris lexicographis adiectivum agnitum, a scholiasta ad Eur. Alc. 768 deminutivum perperam dicitur, numquam significabat *parvum poculum*.

Ab hoc non discrepat ψυκτήριον (cf. Eust. p. 1632), cuius adiectivi natura cognoscitur ex ψυκτήρια, quae et apud Aeschylum et apud Euripidem loca fuerunt ad refrigerandum apta cf. Ath. XI 500[e].

Eandem formae speciem habet φυσυτήρια ab Hesychio φυσαλλίδες — ita ex correctione Stephani in Thes. L. Gr. t. 4 col. 272 pro eo quod illic editum erat φυταλλίδες — explicatum, ut καλυπτήριον in lexicis nondum testatum et πιεστήριον sc. ὄργανον et κνηστήριον, *radula*, pro quo syncopatum κνῆστρον ut θέλκτρον pro θελκτήριον in vulgarem usum venire coepit, et κλιντήριον minus recte in E. M. 520, 26. 690, 29. Bekk. an. 272, 19 pro deminutivo venditatum, quod ex Aristophanis quae suspecta habetur fabula Δὶς Ναυαγός a Poll. X 23 affertur (cf. frgm. Ar. p. 154 ed. Dind.). at dubiam rei taxationem facere videntur βακτήριον, κρατήριον, κλυστήριον, quibus praeter βακτήριον primitiva κρατήρ et κλυστήρ assignanda sunt. verum βακτήριον vulgo deminutivum appellatum apud Ar. Ach. 458 *baculum* significans ab adiectivi profectum est notione, et κρατήριον, κλυστήριον[25]) artis vocabula medicorum usui relinquenda Atticorum quidem dicendi modum,

---

24) unum quod huius hypocorismi speciem prae se fert ξυλήριον i. q. ξυλάριον recentissimi est usus. at vide an corrigendum sit ξυλήφιον, cf. infra. 25) pariter κλυσμάτιον apud medicos significatione congruit cum primitivo suo, cf. infra.

quo vocum terminatione quadam exprimendarum perspicuitas atque evidentia clarebat, minime tollunt. consilio autem omisimus λουτήριον, *labrum*, quod ex Aeschylo citatum non esse deminutivum ex attributo intellegitur: ἀλλ' ἐκ μεγίστων λουτηρίων.

V.

DE DEMINUTIVIS IN -ION CADENTIBUS.

Canonem illum de trisyllabis deminutivis in -ιον a veteribus technicis constitutum supra in medio proposuimus. ea vero regula cur ab aliqua vocula migrata fuerit, non idonea causa invenitur. videtur enim ea, ut deminutivi corpus pronuntiatione fulciretur, non temere a technicis excogitata esse. nihilo setius affert et Eustathius ad Il. II 268 κώμιον ut in legem renitens, neque latent VV. DD. Lobeckii ad Phryn. p. 314 λύχνιον attestantis et Schaeferi ad Greg. Cor. 11 τεύτλιον, θυρίον, κήπιον allegantis iudicia hanc anomaliam reprobantia. attamen λήδιον ut ex ληίδιον natum ex regula in tertia ab extrema syllaba tenere oportet accentum. haec tamen plerumque in libris editis vitiose scripta inveniuntur: βώλιον Ar. Vesp. 203 ed. Inv. Arist. de ausc. mirab. 47 Bekk., ζώνιον (Ar. Lys. 72 ed. Bekk.) Poll. VII 27 ubi Aristoph. citatur ζωνίον ex norma scriptum cf. A. P. V 158, κάλπιον Ath. XI 475[c] ed. Schw., κλώνιον Ath. XV 680, κλωνίον e regula A. P. XII 256 ed. Iac.

Tum κώριον pro κόριον dorice de industria ut videtur a Megareo isto ap. Ar. Ach. 731 ed. Dind. παραλόγως pronuntiatum. κρήνιον Strab. t. I p. 441 Tzsch. κύμβιον Harpocr. 180, 33 ed. Bark. Dem. c. Mid. 558 ed. R. contra κυμβίον Dem. c. Euerg. 1156. Alexis ap. Ath. VII 230. XI 481, inconstanter κύμβιον in E. M. 543, 8. 545, 33, κυμβίον autem 549, 2. Eustathius denique cum his deminutivis peculiarem describebat accentum, κυμβίον e lege scripsit idque non semel confusum est cum κυμβεῖον, cf. p. 200. tum κώνιον in A. P. παραλόγως scriptum corrigitur a Buttmanno in Gramm. l. c.

λώπιον in Arist. vol. III 3 ed. Buhle plus semel falso signatum, recte scriptum reperitur in A. P. VI 295. μάζιον dubiae lectionis ap. Ath. XIV 646[e]. Schweighaeuserus quidem ibi sic edidit: ἐπίδαιτρον. πλακουντῶδες μάζιον ἐπὶ τῷ δείπνῳ. sed edd. Bas. Ven. offerunt πλακούντων δεσμάτιον, indeque coniecit Casaubonus ἑδεσμάτιον, quod deminutivum ἀναλόγως formatum haud scio an nusquam legatur. fortasse scripsit Athenaeus πλακούντων ἡδυσμάτιον, quod dem. ab ipso allegatur ex Teleclidis Ἀμφικτυόσιν VI 268[e]. illud tamen quod editum est voc. legitur ibid. II 99[e] ex Phrynicho excitatum.

νήττια Ath. II 65[d] πόσθιον Ar. Thesm. 254 ed. Inv. cf. Poll. IX 131. Eust. ad Od. 1857, 16. Suid. s. v. ῥίζιον Ar. Ach. 654. Diod. Sic. IV 54 ed. Wess. ῥιζίον Ath. XI 685. στάμνιον Ath. IV 140[a] a Meinekio (Men. rel. 54) σταμνίον emendatur, quemadmodum scriptum est ap. Ar. Lys. 196. Plat. ep. XIII 361[b] alibi. σχοίνιον E. M. 740, 37. Ar. Vesp. 134, 3 cet. τέκνιον A. P. XI 212, at non ita multo post

τεκνία. contra vox eiusdem notae τεχνίον ab Astio ad Plat. de rep. VI 695 d et a Schwgh. ap. Ath. II 55 d. VI 240 et alibi ex canone denotata est. atque Buttmannus l. c. praeceptum illud de accentu deminutivorum firmatum mutae cum liquida copulatione tolli negando scripsit τεκνίον, τεχνίον. φάττιον Ar. Plut. 1011 ed. Iuv. Ath. VIII 359 b. χλαίνιον A. P. XII 40. ὤμιον A. P. XI 157.

Sunt deinde huius generis deminutiva, quorum primae syllabae scriptio dubium reddidit accentum, ut σάκιον et κάδιον quae et ipsa duplicibus signata reperiuntur consonantibus. atque σακίον παραλόγως scriptum ap. Poll. X 152 ubi Ar. Thesm. II citatur. σακκίον in Etym. M. 610, 32. Menand. 44 ed. Mein. Xen. Anab. IV 5, 56 ed. Schn. Diod. S. XIII 106 Wess. Atticorum autem etsi non fuisse fertur κ consonantem duplicari (cf. Sturz. de dial. Mac. p. 129), tamen repugnare videtur Aristophanes (Ach. 745) σάκκον duplici κ locutus. cf. Lob. Aglaoph. p. 845. tum de voculae κάδιον scriptura cf. Schaefer ad Greg. Cor. p. 28 Atticorum gratia simplicem consonantem vindicans.

Restat ut de nominibus propriis, quibus est dactylorum numerus, disseramus. etenim quamquam scribentium voluntas, primitiva videlicet deminuendi, eadem esse debet atque in appellativis, regulam tamen illam de trisyllabarum vocum accentu probatam etiam ad nomina propria pertinere, technicis eam rem in medio relinquentibus non est quod credamus. itaque Μύρριον Ar. Lys. 906 atque haud scio an recte Graefius in epigrammate Meleagri (A. P. XII 82) Φάνιον contra Iacobsium, qui Φανίον ad appellativum φανίον ex norma scriptum respiciens illic signandum curavit, expresserit. pariter Μύρτιον (Ath. XIII 576), Βίττιον s. Βίτιον A. P. VI 276, Θέρμιον ib. VIII 161. cf. Iac. t. III p. 438. Θώνιον ib. VI 627, Νάννιον Ath. XIII 558 c. Hyper. ap. Harpocr. 203, 7. A. P. V 207, atque forsitan veteres grammatici discreverint Νίκιον (Ath. IV 157 a) Δόρκιον (A. P. XII 61) Λέμβιον (ib. V 44), si sunt meretrices, ab appellativis νικίον, δορκίον, λεμβίον.

Eandem analogiam excipere videntur quae locorum sunt appellationes, ut Τείχιον (Thuc. III 96 cf. Tzsch. ad Strab. t. III p. 558) Ἥριον E. M. Ἴσχιον Diod. Sic. 5. XIII 65. Ἄκτιον Thuc. Ἄλσιον Str. Ἄλπιον Paus. Κράνιον Xen. ubi fere in libris offendimur deminutivis peculiari accentu. similiter signari convenit, quae deminutivorum formae minus sunt similia, ut Ζάγκλιον (Str.) Δήλιον (Thuc. Str.) Θύμβριον Xen. neque iniuria vituperatur Tyrannio a schol. Hom. Il. II 648: οὐκ εὖ δὲ Τυραννίων παροξύνει αὐτὸ (Ῥύτιον) ὡς πεδίον· οὔτε γὰρ ὑποκοριστικὸν, οὔτε (adde ἂν) εἰ ἦν ὑποκοριστικὸν, παρώξυνετο. καὶ ὅτι βραχύ.

Quam ad normam signanda sunt Θρόνιον Νέριον ap. Strab. t. I p. 366 et p. 410 ed. Tzsch. ubi tenoris non firmus est locus.

Postremo de iis disputandum est deminutivis[26]), quae ternas syllabas continentia irrationali, ut aiunt, accentu insignita reperiuntur. vocem στόμιον hic illic parox. scriptam neque forma, quae ἀναλόγως στομά-

26) cf. Arcad. 119, 8.

τιον[27]) esse debebat, neque significatione deminutivum esse, iam decrevit Lobeckius ad Buttmanni gramm. l. l. deinde πεδίον quod technicos, ut a deminutivo πέδιον distinguerentur, irrationali signasse accentu supra iam commemoravimus, denique χορίον (corium) parox. vulgo denotatum, nullam huius anomaliae causam cum videatur habere, nunc a recentioribus lexicographis ἀναλογώτερον proparox. scribi coeptum est. verum deminutiva quae passim in libris vitiose scripta reperiuntur, sunt θύριον, λύριον, σκάφιον, σκύφιον. ac θυρίον et λυρίον ob eam rem iam notata sunt a Schaefero ad Greg. Cor. 28. dein de nominis σκάφιον diversorum nominum confusione σκάφιον et σκαφεῖον, cuius loco etiam σκαφίον scribebatur, perspicuitas infirmata est. nam illud cum sit deminutivum vocis et σκάφη et σκάφος, utriusque vocabuli significationis particeps esse oportebat. at *alvei* significatio quamvis huic voculae genuina, frustra in Atticorum quidem, quae adhuc exstant, scriptis quaeritur, sed apud citeriores scriptores, ut apud Theophrastum, alios. sed cum Atticorum fuerit poculi quoddam genus — cf. Eupolis ap. Poll. VI 45. Ath. IV 142[d]. XI 475 — Aristophanes illud Thesm. 630 haud dubie iocans *matulam* appellavit, unde *scaphium* apud Iuvenalem sat. 6, 262. inde patet ratio qua sit factum, ut etiam *tonsurae* genus per metonymiam[28]) eo significaretur. cf. Ar. ap. Harpocr. 269, 25 et schol. Ar. av. 806 ubi ab altero huius tonsurae modo (κῆπος s. κηπίον) discriminatur. cf. schol. Luc. Lex. 5. Hesychius denique, qui Victor. Ar. l. c. scholiastem exscripsit, diversissima miscet σκάφιον dicens πτύον καὶ εἶδος κουρᾶς τῆς ἐπὶ κεφαλῆς. — Immo σκαφεῖον, priore significatione, per diphthongum scribendum erat, ut scriptum est in An. Bekk. 1, 62, 9 σκαφεῖον, ἐργαλεῖον, ᾧ σκάπτουσιν ἤτοι ἄμη ἢ ἀξίνη cf. ib. 25, 30. E. M. 569, 27. hac significatione vitiose fere signari solet σκαφίον, accentu in altera ab extrema syllaba posito pro σκαφεῖον uti ap. Plut. Ar. 3 ed. Schaef. schol. Theocr. IV 4 ed. Kiessl. Suid. s. v. σκαπάνη. neque id cum Etymologo verbale a σκάφειν (sic!) deduxerim, sed potius ut κουρεῖον, γραφεῖον, φελλεῖον a γραφεύς, κουρεύς, φελλεύς, sic illud a σκαφεύς.

Denique σκύφιον παραλόγως scriptum apud Ath. XI 477[e] rarissimum invenit usum.

Horum vero deminutivorum ne elevetur claritas, nomina, quorum radices exirent in vocales, hac terminatione deminui non solebant. tamen excipiuntur non modo tertiae flexionis nomina neutra, ut ῥάκιον, ῥυγχίον, ταρίχιον, quorum corpori, stirpis vocali ε suppressa, terminatio -ιον annectebatur, sed etiam quae dicuntur propria in -ια cadentia, quae Atticorum more primitivorum loco in usum venerunt communem, cf. schol. Luc. Catapl. 12, ut Εὐφήμιον, Εὐπράξιον, Βίττιον s. Βίτιον, Ἐμμέλιον, Θαυμάριον. huic praecepto reniti videntur ἀλύσιον s.

27) ναυςίον quo Tzetzes exeg. Il. B 87 inconcinne usus est, regulae vulgari, qua demin. a primitivorum genetivis gignuntur, non destruet.
28) pariter minus recte σκαφεῖον scriptum pro σκάφιον ap. Plutarchum Num. 9 ed. Schaef. de speculo, quo ignis splendor repercutitur. cf. infra.

ἀλύσιον (cf. Hemst. ad Poll. X 167), ἐπαύλιον, ἀμόλγιον, ἐγχέλιον, σκαλλίον, τροφάλια, στῖον, quibus singulis deminutiva vis attribui solet. et primum quidem ἀλύσιον affertur a Suida s. v. ἀλύσιον πλοκίου γένος περὶ τὸν τράχηλον. Μένανδρος Καρίνῃ· περὶ τὸν τράχηλον ἀλύσιόν τί σοι δότω. cf. Hes. s. v. at deminutivam ab eo abesse potestatem ex Polluce l. c. apparet: ἀλύσιον δὲ εἶχε τετταράκοντα δραχμὰς ἄγον.

Tum ἐπαύλιον recentiorum scriptorum ut ap. Plut. Mar. 35 τῶν δὲ περὶ αὐτὸν — διασπαρέντων — εἴς τι τῶν ἐπαυλίων δὲ (ἦν) οὐδὲ μέτριον, ἀλλὰ πάντα ἐρείπια (cf. Poll. IV 4, 1) ab adiectivi potius quam a deminutivi notione profectum videtur. cf. supra.

Minus nos moratur ἀμόλγιον. Theocr. XXVI 186 ἄλλος ἀμόλγιον εἶχ', ubi *mulctra* est, quod aut ex ἀμολγεῖον correptum est, cf. p. 201, aut ab ἀμολγός per paronymiam formatum.

Tum ἐγχέλιον plurali numero usitatum affertur ex Posidippo ab Ath. III 877 ὥρα περαίνειν ἐγχέλια καὶ καράβους, pro quo emendandum videtur, omisso καὶ, ita: ὥρα περαίνειν ἐγχέλεια, καράβους, quemadmodum legitur apud Ar. Ach. 1023 ὀπτᾶτέ τ' ἐγχέλεια — cf. An. Bekk. 474 ubi ex Calliae Κύκλωψιν: ἐγχέλεια, κάραβοι. *carnes* igitur significantur *anguillae*, cf. supra. nam deminutivum vocis ἔγχελυς est ἐγχελύδιον cf. Amphis ap. Ath. 290[f]. Ephipp. ib. 256[b]. similiter corruptum est ὀρνίθια ex ὀρνίθεια ubi carnes significantur.

Tum σκαλλίον, quod propar. scriptum ex Phileta citatur ab Ath. XI 501 σκάλλιον, κυλίκιον μικρὸν, ᾧ σπένδουσιν Αἰολεῖς. verum prototypon, quod huic voculae subicitur, σκάλις una liquida ap. Hes. denotatum, illius primitivum diei nequit, atque difficile est de uno nomine, quod propriae dialecto adscribitur, certi quid statuere.

Tum vocab. Alexidis τροφάλια apud Athenaeum, quod non potest proficisci a τροφαλίς, sine dubio syncopatum ex τροφαλίδιον, comparandum illud cum ῥάφιον Galeni. restat ergo extremae Graecitatis vocabulum στῖον[29]), iam propter accentus genus e deminutivis eiciendum, solita illa terminationis mutatione formatum, quod regulam supra propositam vix destruet, qua nulla in -ιον deminutiva ab appellativis pure flectendis fuerint formata. sic λοιδορημάτιον deminutivum vocis λοιδορία affertur ab Aristotele rhet. 3 ex Aristophane. atque ἀντλίον quod ex Aristophane et Epilyco in An. Bekk. 411, 19 citatur, non est deminutivum vocis ἀντλία sed ἀντλιαντλητήρ a recentioribus Graecis vocatum. similiter se habent σηπίον i. e. *os sepiae* et σηπία. cf. schol. Eur. Andr. 1241.

Sed qui in sermone deminutivis usi fuerunt, cum maxime id spectare videantur, ut risum vel locum movere velint, mirum esse potest, si aliquot voces deminutiva terminatione distinctae potestatem exuisse videntur deminutivam. ne igitur dicam multos labentis Graecitatis scrip-

29) cetera in -ιον bisyllaba μνῖον s. μνίον, ἴον, σίον, θρίον, ῥίον nemo erit qui ad deminutivorum formam referat, quippe quibus maximam partem, ad quae possint revocari, desint nomina primitiva.

tores deminutiva pro primitivis perperam usurpasse; ut Ioannes evangelista 6, 26 πλοιάρια quae navigia ab eodem non ita multo post πλοῖα vocantur, id. 18, 10 ὠτάριον pro οὖς. id. 25, 29 ὀψάριον pro ὄψον. id. 21, 18 προβάτια pro πρόβατα; item M. Antoninus comm. V 4 ed. Schulz. γαλάκτιον pro γάλα. VI 13 τριχίον (sic) pro θρίξ; id. V 4 αἱμάτιον pro αἷμα cf. XII 26. idem 6, 57 χολίον (sic) pro χολή. cf. infra.

Atque pariter qui Graeci vocibus origine Latinis in operibus suis utebantur, eas ut deminutiva effutire solebant, ut ἀσσάριον Plut. Ar. 4 cf. Lob. ad Phryn. 211, quin etiam ipsi florentioris aetatis scriptores rei natura inducti interdum usi sunt deminutivis, quibus nulla prorsus hypocorismi quem modo descripsimus nota exprimi videtur. cf. infra. huius autem rei causam ubi quaerimus, alia in primitivorum vel exauctoratorum vel comptiori orationi alienorum, ut ἀκόντιον, κοσκυλμάτια, δωμάτιον, cubiculum dormitorium, ἱμάτιον apud Atticos[30]) quidem, ψυδράκια cf. Diosc. V 119. schol. Theocr. XII 24, alia numero admodum pauca, quotiescumque primitivorum nominativi communi exciderant usu, horum provincias suscipere coeperunt, ut ἴνιον, ἀρνίον. quam ob rem insequenti tempore accidit, ut qui artem aliquam factitando de huius nominibus apte denotandis cogitarent, ut philosophi vel quilibet doctrinae alicuius professores, medici, opifices, quippe qui rerum notiones instrumentave aut universe opera manu facta nomine aliquo essent insignituri, vocabula, quibus substantia quaedam vel materia indicabatur, primigenia, propriae illi terminationis vim ac potestatem minus reminiscentes deminutivorum similibus notis terminaverint. huc accessit quae a technicis dicitur metonymia, qua eiusmodi nomina propter nominis derivati, quae cum voce primigenia intercedebat, similitudinem, huiusmodi effigies ac simulacra cum nominibus afficerentur, deminutive notari consueverunt. cf. infra.

VI.

NOMINA IN -ION CADENTIA A SIGNIFICATIONE DEMINUTIVORUM PROFECTA CERTAM DEFINITAMQUE NACTA POTESTATEM.

Horum nominum agmen ducit χωρίον, duplex possidens prototypon, a deminutiva natura repetendum, ut ap. Hipp. 1, 38 Foes. ὑπὲρ τῶν φρενῶν χωρίον. indeque de librorum locis ap. Thuc. 1, 37. Her. II 117. hinc eius significatio latius patebat, ut de *castello* apud Plat. Gorg. 455 et ipso de *praedio* apud Xen. An. V 5, 11.

Huius quoque ordinis est γεωπέδιον, *fundus*, a Schweigh. apud Her. VII 2, 8 γεωπεδίων emendatum pro γεωπέδων quod est in uno Sacrofti libro scriptum.

Idem statuendum est de vocibus usui communi peculiaribus, velut θριγκίον ab Hes. δίφρος explicatum, a Polluce inter τὰ τῷ κοιτῶνι

30) mirari licet quod ionico v. εἷμα Hippocrates semel usus est, Attico contra ἱμάτιον saepissime.

παρακείμενα recensitum, unde proverbium illud: ἀπὸ κάλω καὶ θριγκίου ap. schol. Ar. Ran. 122 i. e. ex laqueo et scabillo, scilicet pendere.

Pariter ὀθόνιον, medicorum vocula, de linteo carpto emplastris supponendo. cf. Polyb. V 89. VI 23. Diod. Sic. V 12. Luc. Phil. 34.

Horum non disparia sunt artis aut medicae aut herbariae vocabula certo iam usu definita, ut σίδιον cum est punicae mali putamen cf. Ar. Nub. 871. Alciphr. 3, 60, unde pro primitivi significatione inter se differunt σιδιόεις, σιδιοειδής (Hipp. I 549 Foes.) ab σιδόεις. cf. Nic. Alc. 276. eodem modo κιτρίον s. κίτριον Ath. III 84, βόλβιον (hoc accentu) Hipp. t. II p. 612. 821 Kühn., δρακόντιον piscis Hipp. I 5, 48 Foes., qui et ipse non ita multo post δράκων nominatus est. deinde plantae nomen cf. Plin. 24, 16, 9.

Porro νεφέλιον, κυκλώπιον *albugo* cf. Hipp. I 214 Foes., ξίφιον, herbae nomen Theophr. h. pl. 7, 12, χονδρίον *pastillus* ap. Hes. *cartilago* ap. Hipp. 1, 253 Foes.

γαστρίον sumen Ath. VII 286[d], apud Cretenses *ferculum quoddam ex sesamo paratum*. cf. Bekk. an. 230.

Simili modo tractanda videntur nomina quibus varia *supellex* indicatur, *vasa* potissimum et quae iis sunt similia usu cotidiano ita trita, ut pro primitivis prope valerent, ut λεκάνιον, pro quo Attici dixere λεκάριον cf. Lob. ad Phryn. 176, a schol. Ar. Ach. 1110 explicatum: λεκάνια δὲ καὶ λεκανίδες τὰ μείζω τῶν ὀξυβαφίων. cf. Xen. Cyr. 1, 3, 4.

Tum μυστρίον quod Eustathius ad Od. III p. 1476 Aelium Dionysium secutus ὄνομα ἰδιωτικὸν vocat, cuius primitivum raro reperitur, ut ap. Ath. III 122[e] schol. Ar. Plut. 627, idque primitivi vim suscepisse cognoscitur ex composito μυστριοπώλης (cf. infra) quod si cum ἱματιοκάπηλος (Luc. Pisc. 21) ἱματιοκλέπτης (Diog. L. I 6, 52) ἱματιομίσθης (Bekk. An. 100, 25. Poll. VII 28) comparatum fuerit, non mutabitur in μυστροπώλης.

Hac ab ratione non abhorrent μαρσίπιον Hipp. I 287, θυλάκιον, φασκώλιον ap. Harp. ἱματίων φορεῖον explicatum. cf. E. M. Ath. IV 690. ad vasorum genera pertinent τρυβλίον, ὀξυβάφιον, χερνίβιον de quibus supra expositum est.

Similiter taxandae sunt voces quibus hominum aetates describuntur, ut μειράκιον ita comparatum, ut inde veluti a νεανίσκος νεανισκεύεσθαι cf. infra, sic ab illo μειρακιώδης μειρακιεύεσθαι propagarentur, conferendum illud cum παιδίον quod et ipsum e re nata ut deminutio clarius appareret, cum adi. μικρὸν interdum copulabatur, ut ab Isaeo π. τ. Ἀστυφ. κλ. 73, 39 ἐκ μικροῦ παιδίου, pro quo ἐκ παιδίου ἐπαίδευες ap. Xen. Cyr. 1, 6, 20. Plato autem ἐκ παιδὸς, ἐκ παίδων, ἐκ νέου, ἐκ νέων, recentiores ἐκ τυτθῶν, ἐκ τυννῶν cf. Schaef. Mel. p. 17. ἐκ νηπίου Diod. Sic. I 74. III 31. ἐκ νεότητος (Hom.) Act. ap. 36, 4.

Haec quidem forma sua quamvis deminutiva cum primitivis ita congruunt, ut si alterum pro altero positum fuerit in notionum sive significationum confusione nemo haesitaverit.

Eadem tamen trutina pendenda sunt, quae per metonymiam quae dicitur in forma deminutiva suam acceperunt nominationem; cuius generis supra citata sunt, σκύφιον cum a medicis de *calva* dicebatur, σκάφιον non tantum de tonsurae cuiusdam modo, sed etiam de speculo quo ignis splendor repercutitur: cf. Plut. Num. 9 ed. Schaef. χοιρίον de pudendis muliebribus, cf. Ar. Vesp. 1353, et varii generis alia nomina, quae deminutiva forma expressa hanc a primitivis suis abhorrentem significationem accepisse apparet, qualia sunt:

ἀστέριον Nic. 725 phalangiorum genus, cf. Plin. h. n. 1, 29, 4.

βατράχιον ranunculus (Plin. 25, 13, 109) non diversum a φρύνιον cf. Hipp. I 570 Foes. βομβύκιον nympha bombycis Arist. H. A. 519. βομβύκια num. pl. *insecta a bombo* quem faciunt *denominata* cf. Arist. H. A. V 24. βοστρύχιον cirrus deminutivum vocis βόστρυχος et per metonymiam a βόστρυξ translatum Arist. H. A. 12. cf. Plin. 26, 7, 26. γλαύκιον succus herbae folia habentis similia corniculato papaveri cf. Diosc. III 100. deinde est *avis aquatilis* Ath. IX 395[c]. ἑλένιον unula Diosc. I 25. Alex. Aphrod. Pol. I extr. cf. Plin. 19, 5, 29.

ἐσχάριον foculus ap. Ar. a Poll. X 101 citatum, tum machina qua naves in mare trahuntur. cf. Diod. Sic. XX 9. Poll. IX 41. κανόνιον deminutiv. ap. Luc. Harm. 3, translatum ad naves constratas Poll. I 92. κάρπιον (hoc acc.) arbor Indica Ctes. ap. Phot. bibl. p. 49, 33, deminutivum ap. Ar. frgm. V. καλάμιον secundum schol. Ar. Plut. 784 i. q. ἀντικνήμιον *tibia*.

κεράτιον, corniculum Arist. H. A. 4, 2, deinde poculi genus ap. Ath. XI 494[d]. cf. Diod. Sic. III 82. tum transfertur non tantum ad lyrae iugum cf. schol. Ar. Ran. 235 sed etiam est *siliqua* cf. schol. Ar. Plut. 885. ev. Luc. 15. cf. Colum. V 10.

λεκύθιον ampulla Dem. contr. Timocr. 726. de metro illo Euripideo Ar. Ran. 1245 cf. schol. Ar. eq. 322. λαμπάδιον [31]) facula ap. Plat. de rep. I 328[a], de ligamento Ar. Ach. 1176. cf. Plut. Pyrrh. 13. Cic. 22, denique de capillis Thebanarum mulierum more in nodum lampadis instar collectis Poll. IV 154.

λιβάδιον fonticulus ap. Strab. t. VII p. 324 Tzsch. unde ab Herodiano epim. 77 μικρὸς σταλαγμός explicatur, ab Eustathio dicitur vocula τῆς πολλῆς γλώσσης, ab Hes. χωρίον βοτανῶδες.

μελίσσιον ab Hes. σμῆνος explicatum Attica pronuntiatione est *apicula* Ar. Vesp. 366.

περδίκιον et dem. est (cf. infra) et herbae nomen ap. Theophr. H. Pl. I 11 πλαταγώνιον crepitaculum ap. Pollucem; de lusu illo amatorio exponit schol. Theocr. III 29. X 157.

πλινθίον dem. apud Thuc. VII 58: — καὶ ἐκέλευον ἵππους σφίσιν ὡς πλείστους — πέμπειν — καὶ — πλινθία — καὶ σίδηρον cf. Diod. Sic. V 30, tum de agmine quadrato Xen. Cyr. VII 1, 24 — pro quo Attici πλαίσιον dixisse feruntur cf. Moeris p. 280 ed. Koch.

31) pro *λαμπαδιοδραμεῖν* scribendum videtur *λαμπαδοδραμεῖν* ap. schol. Ar. Vesp. 1198.

πτερύγια pinnulae piscium Arist. H. A. 1, 52, sepiarum Ath. VII 301[e] atque haud scio an sec. Suidam ex libris Paris. Eton. rescribendum sit ap. Xen. Anab. IV 7, 15 εἶχον δὲ θώρακας μέχρι τοῦ ἤτρου, ἀντὶ τῶν πτερυγίων σπάρτα ἐστραμμένα pro πτερύγων. cf. id. de re eq. 1, 2, 4. Poll. 1, 1, 34. item Dion. Hal. (t. V p. 124 R.) citat ex Hegesia Soph. πτερύγια τοῦ θώρακος cf. Pol. XVII 9, 4 unde de vestis *laciniis* in V. T. Reg. 15 et 24 πτερύγια διπλοΐδος. huc etiam pertinet cum dicitur vitium oculorum a medicis ita nominatum. cf. Hipp. I 103 F. Cels. VII 7, 4.

πωλίον eculeus Ar. Vesp. 180. Pac. 75. Andoc. de myst. 9, 3. improprie autem a schol. Theocr. V 33 ἀκρίδες λέγονται τὰ πωλία τὰ καθήμενα εἰς τὰ τῶν δένδρων καταχρηστικῶς· κυρίως δὲ αὐτὰ τῶν δένδρων. tum *membrana* qua pullus equinus in utero circumdatur cf. Arist. H. A. 8, 24. Bast. Greg. Cor. p. 321.

σκορόδιον non est deminutivum. Alexis apud Ath. IV 170 ὀρίγανον, γήτειον, σκορόδιον, θύμον quo modo pro σκόροδον propter metrum legendum est. est enim allii folium, quo Athenienses fame pressi vescebantur. cf. Aristoph. Plut. 817 ibique schol.

τέφριον (hoc acc.) collyrium a primitivi colore ita nominatum. cf. Cels. de arte med. VI 6, 7.

φρικία horrores quibus febris accessione afficimur Diosc. IV 15.

Iam disserendum est de iis nominibus quibus significantur vel opera manu facta vel res ex materia quam primitiva nomina continent confectae; qualia sunt σιτίον de *cibo sicco* dictum ab Hippocrate π. ἀρχ. ἰατ. t. I p. 29 ed. Kühn. ξηρὸν σιτίον ἢ μᾶζαν ἢ ἄρτον et ib. t. I p. 369 ed. Foes. διάγνωσις δὲ — πότερον τὸ σιτίον κρατέει τοὺς πόνους, ἢ οἱ πόνοι τὰ σιτία. singularis num. plurali rarior est, semel ap. Plat. Phaedr. 241, bis ap. Xen. Mem. III 18, 2. Anab. 1, 10, 58, crebrius ap. posteros: Luc. de ver. hist. II 44. Amor. 41. Plut. Syll. 36. Cor. 3. tum quae sunt a metallis derivata vocabula: ἀργύριον, χρυσίον, χαλκίον, σιδήριον, tum quae ex argilla aliaque materia sunt facta: κεράμιον, ὀστράκιον, βιβλίον, πυξίον, φιλύριον, πιλίον, σχοινίον, στρόφιον, δοράτιον, de quibus singillatim disputabimus.

Et primum quidem ἀργύριον, primitivi vim adaequans ap. Arist. περὶ θαυμ. ἀκουσμ. 48, 30 (Bekk.) βωλία ἀργυρίου; plerumque de nummo argenteo cf. Suid. s. ἀργύρειος σταυρός: ἀργύριον, τὸ λεπτὸν νόμισμα καλοῦσιν, ὡς Ἀριστοφάνης Δαναΐσιν. cf. Dem. contra Tim. 766 ἀργύριον μὲν νόμισμα εἶναι τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἕνεκα τοῖς ἰδιώταις εὑρημένον, unde ἀργύριον μικρόν Dem. 919. huc pertinet Pollucis (IX 80) praeceptum: ὡς δ' ἐπὶ τῶν κερμάτων οἱ ἀρχαῖοι Ἀττικοὶ ἥκιστα τῷ ἑνικῷ ἐχρῶντο, οὕτω δ' ἐπὶ τῷ ἀργυρίῳ (scrib. ἐπὶ τοῦ ἀργυρίου) τῷ πληθυντικῷ. ἀργύρια γὰρ ἐπὶ τοῦ ἀργύρια σπανίως ἄν τις εὕροι παρ' αὐτοῖς. ἐγὼ δ' εὗρον ἐν ταῖς Νήσοις Ἀριστοφάνους εἰ μὴ ὑποπτεύεται τὸ δρᾶμα ὡς Ἀριστοφάνους οὐ γνήσιον. cf. id. VII 104.

At invenitur pluralis non modo apud Aristophanem semel Av. 600 τῶν ἀργυρίων, sed etiam apud Plat. Legg. V 725. Xen. Mem. II 5, 2.

III 6, 12. de redd. IV 1, 11, unde τὰ κίβδηλα ἀργύρια id. Oecon. 19, 16, tum ap. Dem. c. Aristog. 782. Isaeum de Cleon. her. 35, 6.

Deinde χρυσίον primitivo[32]) tantum non par ap. Arist. l. c. βωλία χρυσίου, cuius pluralis legitur quidem semel ap. Aristophanem Lys. 1190 ed. Dind.: στρωμάτων δὲ ποικίλων | καὶ χλανιδίων καὶ ξυστίδων | καὶ χρυσίων, ὅσ' ἐστί μοι. at nescio an rectius Brunckius χρυσίδων, nam ὅσα referri potest ad praecedentia nomina. plurali denique semel usus est Thuc. II 3 bis, Plato rep. V 336[c]. legg. V 642[d] quo numero et Herodotus et Xenophon abstinuere. is non raro invenitur apud oratores Atticos cf. Dem. 916 extr. χρυσία καὶ ἱμάτια, ib. 916. 1031. 1110. 1192. 1356 extr. 1360. Isaeus 69, 27.

Denique χαλκίον, cuius pluralis pernotuit in χαλκία πονηρά (Ar. Ran. 724). rei vero natura fert, ut hoc cum χαλκεῖον significatione congruerit. cf. Ar. Ach. 1100. Xen. Oec. 8, 18. cf. supra.

Postremo σιδήρια forma magis quam significatione deminutivum, siquidem σιδήρια sunt ferramenta. cf. Valck. ad Her. VII 18, 66. λιθουργὰ Thuc. IV 4. Poll. VII 125. Suid. III p. 112. ξύλα καὶ σιδήρια Plat. Euthyd. 300.

Eiusdem formationis sunt ὀστράκιον recentiorum cf. Strab. t. III p. 27. VI p. 620, schol. Ar. Ran. 1332, quod vocabulum utrum ab adiectivi an a deminutivi modo repetatur, parum refert, atque κεράμιον probatissimorum scriptorum usu comprobatum. clarior autem deminutivi species est in βιβλίον, πυξίον, φιλύριον, πιλίον, σχοινίον, στρόφιον, δοράτιον, de quibus strictim exponam.

Vocabuli βιβλίον s. βυβλίον (cf. Blomf. ad Aesch. Prom. 836) formationis modus ex iis quae modo disputata sunt clarissime patet, idque in primitivi vim abiisse ex nominibus[33]) quae inde derivata sunt apparet.

Pariter πυξίον tabula buxea cum ad scribendum (cf. Luc. adv. ind. 15) tum ad pingendum apta. cf. Hagias in Bekk. anecd. 113. cum hoc significationis specie congruit φιλύριον Ael. V. H. 14, 12. haud dispar porro est formatio in πιλίον pileus, non pileolus, quod πιλίδιον est. Plut. Sol. εἰσεπήδησεν εἰς τὴν ἀγορὰν ἄφνω καὶ πιλίον περιθέμενος, quam historiolam tangens Demosthenes de fals. leg. 421 fin. scripsit deminutivum πιλίδιον. id Attici si *pileolum* significare volebant, perspicuitatis causa corporis partem addebant. cf. Ar. Ach. 446 τὸ πιλίδιον περὶ τὴν κεφαλὴν τὸ Μύσιον. cf. Plat. rep. III 406[b] et sic Dem. l. c. cf. Poll. X 171. cf. infra. σχοινίον funis non funiculus, de cuius accentu incerto v. supra p. 202. figurate dixit Pindarus frgm. 12 σχοινίον μεριμνᾶν. ceterum eius usus frequentia deminutionis amissio satis declaratur. cum hoc comparandum est στρόφιον cf. Ar. Lys. 931. Thesm. 129. denique δοράτιον *hastile* aeque atque ἀκόντιον deminutiva se abdicavit potestate, uti videre licet ex Ar. Pac. 552 ubi illud cum ἀκόντιον compositum est, historicis crebro usurpatum: cf. Thuc. III 22. VII 84. Xen. An. V 2, 23. Her. 1, 34. Dion. H. t. III p. 1925 cet.

32) cf. Schaef. ad Phil. Thess. III 122. 33) βιβλοθήκη semel ap. schol. Ar. Nubb. 969 haud dubie vitiose scriptum est.

iam vero citanda forent cetera deminutiva in -ιον cadentia. at ne legentium taedia moveantur, principalia maxime ab optimo quoque scriptore hic ordinatim recensebimus deminutiva:

Primae flexionis deminutiva:

βαccάριον vulpecula Her. IV 192.
βατάνιον patella et πατάνιον Antiphan. Alex. Eub. ap. Ath. IV 169[b].
βλαυτίον solea Ar. eq. 889.
γαcτρίον vasculi genus cf. Mein. com. fragm. II 1 p. 129.
ἐπιcτόλιον recentiorum scriptorum et ipsum a Latinis adoptatum cf. Catull. 68, 2.
ἐcχάριον foculus Ar. Thesm. 139. Lys. 42. cf. Poll. VII 67.
θύριον Ar. Plut. 191. Nubb. 902. de accentu v. p. 204.
κόριον Theocr. XI 60. cf. supra p. 203.
κυψέλιον Arist. H. A. IX 40.
κωμίον cf. infra.
κώριον s. κούριον pro Attico κόριον cf. supra.
λεκάνιον patella. Ar. Ach. 1110. Xen. Cyr. 1, 3, 4. cf. supra.
λημία μικρὰ Hipp. 1, 153 Foes.
λύριον Ar. Ran. 1304.
μαχαίριον pugio Xen. An. IV 7, 16, instrumentum quoddam chirurgicum Hipp.
μελίττιον apicula cf. supra.
νεφέλιον nebula Plut. plac. phil. 2, 18. cf. supra.
ὀθόνιον panniculus Ar. Ach. 1176. Dem. c. Euerg. 1145. cf. supra.
ὀcμύλιον Aristoph. ap. Poll. II 76. cf. infra.
περιcτέριον Menand. Nicostr. Anax. Phryn. ap. Ath. XIV 614[a].
ποcθίον mentula Ar. Thesm. 245.
πορφύρια μικρὰ Arist. H. A. 515 comparandum cum κογχύλια cf. Her. II 12. Ath. III 86[e].
προβόλιον venabulum Xen. Cyn. 3, 12.
cπειρίον vestis tenuis Xen. Hell. IV 5, 4.
cφαιρίον Plat. ep. II 312[d]. cf. supra.
τεχνίον Plat. rep. VI 495[d]. Ath. II 55[d].
τιτθίον mamilla Ar. Ach. 1161. Plut. 164.
φαττίον palumbulus Ar. Plut. 1011.
φαρέτριον Mosch. 1, 20.
φυλίον Plat. com. ap. Ath. II 56.
χαμεύνιον Plat. Symp. 220[d].
χελύνιον indoctos dixisse pro χελύνη refertur in Bekk. An. 72, 11.
χρυcομηλολόνθιον scarabeus auratus Ar. Vesp. 1341.

Secundae flexionis deminutiva:

ἀγκίcτριον hamulus Theocr. XXI 57.
ἀκάτιον lembulus cf. E. M. s. v.
ἀνθρώπιον homullus Xen. Cyr. VI 14. Mem. II 3, 16.
ἀμπέλιον vitecula Ar. Pac. 597. Ach. 982.

ἀσκίον utriculus Hipp. I 261 Foes.
βιότιον tenuis victus Ar. Plut. 1165.
βοθρίον Hipp. I 427 Foes.
βωλίον Ar. Vesp. 203.
δειπνίον cenula Ar. Πελαργ. ab Hes. et Suida in formula «οὐ γὰρ ἄκανθαι» servatum.
δελτίον tabella Her. IV 239.
δόκιον Arist. H. A. 4, 7. Diod. Sic. 18, 42.
δενδρίον arbuscula Ath. XIV 649ᶠ.
ζωμίον Hipp. I 825 Foes.
θυλάκιον Her. III 105. Ar. Vesp. 314. Ath. IV 152ᶠ. cf. supra.
καρκίνιον Hipp. I 472 Foes.
κιβώτιον Ar. Plut. 711. Xen. An. VII 5, 14. Dem. c. Aristog. 738. Suid. s. v. κιβωτός.
λήδιον Clearch. ap. Ath. VI 256ᶠ. de accentu v. supra.
λάγιον lepusculus Xen. Cyn. 5, 12.
λυχνίον lucernula Ath. V 206ᶜ. Luc. Conv. 46 diversum a λυχνεῖον candelaber.
μολύβδιον Hipp. I 597 Foes.
νεόττιον pullus Plat. Phaedr. 295ᵃ. Ar. Av. 64, 7. Aristot.
ὀρόβιον Hipp. I 58 Foes.
πλευρίον Hipp. I 261 Foes.
πυρέττιον febricula Hipp. II 16 Foes. Arist. μηχ. 2, 3 Bekk.
ῥαβδίον Ath. XV 687ᵇ. cf. An. Bekk. 61, 33.
σανδάλιον Her. II 91. Luc. Philop. 27.
σκυτάλιον bacillum Arist. Av. 1283.
σκολύθριον scabellum Plat. Euth. 268ᵇ. E. M.
σκορόδιον cf. supra.
σκυτάλιον bacillum Ar. Av. 1283.
σπαρτίον resticula Ar. Pac. 1213.
σπογγίον fungulus Hipp. t. II p. 243 ed. Kühn. σφογγίον Ar. Ach. 463. cf. Moer. p. 300.
σταμνίον urceolus Ar. Lys. 196.
στρουθίον passerculus Arist. H. A. 2, 34 ed. Bkk. cf. id. 7, 30.
τεκνίον infantulus A. P. XI 213.
ὑπνίον somniculus Ar. Vesp. 7.
χοιρίον porculus Ar. cf. supra.
His adde nom. prop. Λαμμαχίππιον, Πηγάσιον ap. Aristophanem.

Tertiae flex. dem. ex primitivorum terminationibus disposita:

-ας — -αδος.

ἐμπάδιον calceolus Ar. Vesp. 600. Plut. 929.
ἰσχάδιον caricula Ar. Ach. 1167.
λαμπάδιον cf. supra.
λοπάδιον patella Ar. Plut. 813. cf. schol. ad Luc. d. h. c. 703. Alex. ap. Ath. III 86ᵈ. Eub. ib. IV 697. VIII 640ᵈ. Men. IV 9ᶠ.
ψακάδιον s. ψεκάδιον guttula Ath. XI 60ᵇ.

Huc etiam pertinet δᾳδίον facula Luc. Nec. 7.

-ας — -ατος.

κεράτιον cf. supra.

-ας — -αντος.

ἀλλάντιον botellus posteriorum scriptorum. ἱμάντια Hipp. I 261 Foes.

-αις — -αιδος.

δαιδίον Hipp. t. II p. 880 ed. Kühn. παιδίον θῆλυ Plut. Pomp. 53. ἀῤῥενικὸν Ath. XIII 581[d]. cf. supra.

-αξ — -ακος.

ἀβάκιον tabula calculatoria Lys. frgm. 28. Alex. ap. Ath. 117[e]. Pol. V 26, 13. Plut. Cat. min. 70.

ἀνθράκιον carbunculus Artemid. A. P. XI 319. cf. supra.

δελφάκιον porcellus Ar. Lys. 1061. Thesm. 257. Ath. VII 230[c] ubi complurium comicorum auctoritates allatae sunt. cf. Luc. Sat. 23. θωράκιον cf. supra. μειράκιον ἐκ μειρακίου Plat. Theaet. 103[b]. Is. π. τ. Δικαιογ. κλ. 5, 56. Polyb. III 8, 5. Plut. Mar. 3. cf. supra.

κλιμάκιον scalula Ar. Pac. 69. id. ap. Ath. VI 238[e].

κοράκιον lupulus piscis Aristophan. ap. Ath. XIV 662[f]. Amphis ib. VII 295[f].

πινάκιον tabula scriptoria Plat. legg. VI 753[c]. Ar. Av. 460. tab. pugillaris Dem. 39, 2. Andoc. c. Alc. 33, 1. cf. Arist. polit. 2, 6. Luc. Nigr. 2. π. τιμητικόν Ar. Vesp. 167. cf. infra.

στυράκιον hastile. Thuc. II 4. cf. Eust. II 281, 13.

σκυλάκιον catulus Plat. rep. VII 559[b]. Xen. Cyn. VII 13. de adiectivi eius vocis forma v. supra.

-αιξ — -αικος.

γυναίκιον Long. 3, 6, 1.

-αγξ — -αγγος.

φαλάγγιον cf. supra. φαράγγιον faucula Str. t. V p. 661 Tzsch. Antiph. ap. Ath. IX 870[f].

-αρξ — -αρκος.

σαρκίον caruncula Hipp. I 774 F. Diphil. ap. Ath. IX 370[f]. Plut. Brut. 8. cf. schol. Theocr. II 78.

-α — -ακτος.

γαλάκτιον cf. supra. numero plurali de *cibis lacteis* Alciphr. frgm. 10.

-ηξ — -εκος.

ἀλωπέκιον vulpecula Ar. Eq. 1076. Mnesim. ap. Ath. IX 403[e].

-ηξ — -ηκος.

σκωλήκιον vermiculus. Ar. ap. Ath. VII 302[c]. 324[e]. Aristot. H. A. 19, 30 Bekk.

σφηκίον cf. supra.

-ηξ — -ηχος.

βηχίον tussicula Hipp. I 131 Foes.

-ης — -ητος.

θητίον servulus, quo nomine Sopatri fabula aliqua inscripta fuit. cf. Ath. IV 175[c].

κελήτιον parva celox Thuc. I 63. IV 120.

λεβήτιον aënulum τῶν μαγειρικῶν ϲκευῶν Anaxipp. ap. Ath. IV 169[c].

Huius quoque est loci ὀπήτιον ex ὀπεάτιον contractum, pro quo in lexicis ὀπήτειον perperam scriptum est. cf. supra.

-ιγξ — -ιγγοϲ.

ϲυρίγγιον parva fistula Hipp. II 1201 Foes.

-ιξ — -ικοϲ.

κυλίκιον caliculus Philet. ap. Ath. XI 198[a]. cf. supra.

περδίκιον perdix parvus Ephipp. ap. Ath. VIII 35[b]. II 65[a]. III 66[f] cet., de figurata eius significatione cf. supra.

-ιξ — -ιχοϲ.

τρίχιον Arist. probl. 33, 18 Bekk. ap. M. Antonin. in primitivi signif. cf. supra.

-ιϲ — -ινθοϲ.

ἑλμίνθιον vermiculus Arist. H. A. VI 16.

-ειϲ — -ειδοϲ.

κλειδίον clavicula Ar. Thesm. 421. cf. id. ap. Poll. X 33. Ath. VII 315[d].

-ειϲ — -ενοϲ.

κτένιον pectunculus Luc. adv. ind. 19.

-ιϲ — -ιθοϲ.

ὀρνίθιον avicula Ar. Av. 223. 666. 1490. Her. II 77. *pulli* Arist. π. πν. 6, 37 Bekk. Ath. IX 273[e] ἀλλὰ μὴν καὶ ὄρνιθαϲ καὶ ὀρνίθια νῦν μόνωϲ ἡ ϲυνήθεια καλεῖ τὰϲ θηλείαϲ ἀλεκτρυόναϲ δὲ καὶ ἀλεκτορίδαϲ τοὺϲ ἄρρεναϲ. cf. Strattis ap. eund. XI 373[f]. XIV 655[e]. de adiectivo cf. supra.

-ιϲ — -ιδοϲ.

τροφάλια et ῥάφιον quae syncopen experta videntur esse, vide not. p. 205. cetera obsequuntur formationis normae.

ἀϲπίδιον clipeolum Strab. t. I p. 412 ed. Tzsch. Plut. Timol. 31. cf. Iacobs. ad A. P. t. XII p. 201.

αὐλητρίδιον Theoph. ap. Ath. XII 532. Antig. Caryst. ib. XIII 607[e]. Diog. L. VII 13.

γραΐδιον, anicula, a γραῦϲ derivandum esse ex vocalis α productione apparet. cf. Ar. Plut. 536 καὶ παιδαρίων ὑποπεινώντων καὶ γραϊδίων κολοϲυρτοῦ. cf. infra.

δαπίδιον vile stragulum Hipparch. ap. Ath. XI 477[f].

ἐφεϲτρίδιον quo a schol. ad Luc. de merc. cond. 37 κεκρύφαλοϲ declaratur.

θρυαλλίδιον ellychnium Luc. Tim. 14.

καρίδιον squillula Arist. H. A. 5, 15.

πυξίδιον affert Pollux II 18 (cf. supra) ita dicens: πυξίον καὶ πυξίδιον παρ' Ἀριϲτοφάνει. schol. autem Ar. Eq. 916 cum κυλίχνιον interpretatur ἔκπωμα, ὃ νῦν, pergit, λέγουϲι πυξίδια. ἔχουϲι δὲ οἱ ἰατροὶ τὰ πυξίδια ἐν οἷϲ προϲβάλλουϲι τὰ πλάϲματα.

ῥαφανίδιον radicula Plat. com. ap. Ath. II 56. cf. id. III 77[b].

ῥιπίδιον flabellum cf. schol. Ar. Ach. 669.

ϲανίδια Ar. Pac. 202 proprie tabulae, quibus uti in patellis cibi

apponebantur, unde cανίδιον universe πινάκιον valebat. cf. Aeschin. c. Ctes. 82, 33. Lys. ἐν βουλ. Μαντ. δοκ. 146, 6.

cπυρίδιον sportula s. corbula Ar. Ach. 828. 445. cφραγίδιον sigillum Ar. Thesm. 427.

τευτίδιον loligiuncula Pherecrat. ap. Ath. VI 269ᵉ. Dorion ib. p. 300. Ephipp. ib. VIII 259.

χλανίδιον cf. supra.

-ιc — -ινοc.

ῥινία nares, cf. Lob. ad Phryn. p. 221.

-ουc — -οδοc.

πόδιον pediolus Epicharm. ap. Ath. 165ᵇ ubi πόδια μικρὰ ut ap. Aristotelem. cetera inde derivata nomina sunt cum hoc cognata: καλοπόδιον sutorum forma lignea cf. E. M. s. v. πολυπόδιον polypus parvulus Ar. ap. Athen. III 86ᵉ. VII 317ᵈ. *polypodium* herba Diosc. IV 188. cf. Plin. XXVI 8. cκιμπόδιον lectulus Luc. asin. 3. schol. Ar. Nubb. 255. cf. Lob. Phryn. 62. τριπόδιον *parvus tripus* apud posteriores scriptores; *poculi genus* Antiphanes ap. Athen. II 71 ψυκτῆρα, λεκάτην, τριπόδιον, ποτήριον.

-ουc — -ουντοc.

πλακούντιον placentula Ath. XIV 645ᵈ. Luc. conv. cf. schol. Ar. Plut. 660.

-ουc — -ωτόc.

ὠτίον in primitivi significationem apud seriores scriptores abiit cf. Lob. Phryn. p. 210 uti ὠτάριον.

-υc — -υδοc.

χλαμύδιον recentiorum fuisse videtur scriptorum Plut. Rom. 8. Pelop. 8. Pyrrh. 11, 34. Phoc. 29. Demetr. 9. Arat. 26. cf. Ath. VI 240ᵇ.

-υξ — -υγοc.

ὀρτύγιον coturnix parva. Antiphanes in Ἀγροίκῳ frgm. 3. Eupolis ap. Ath. IX 392ᵉ.

πτερύγιον cf. supra. Aristot. π. τ. ζ. 25. 26, 13.

-υγξ — -υγκοc.

λυγκίον Callix. ap. Ath. V 201ᶜ.

-υξ — -υχοc.

βοστρύχιον cf. supra.

ὀνύχιον unguiculus Arist. H. A. XI 29 B.

-εψ — -εβοc.

φλέβιον venula Plat. Tim. 65ᶜ. 84ᵉ. Strab. t. III p. 266 Tzsch. et crebro apud medicos cf. Hipp. I 37 Foes.

-ωψ — -ωποc.

Κυκλώπιον et lusci illius deminutivum ap. Eurip. in fab. eiusdem nominis satyrica et apud medicos morbi cuiusdam vox. cf. supra.

Κωνώπιον meretricis nomen A. P. VI 22.

-ωc — -ωτοc.

Ἐρώτιον Cupido parvulus Luc. Philops. 14. Lucill. A. P. X 88.

ἱδρώτιον Hipp. t. II 12, 2 Foes.

-οϲ — -εοϲ.

ῥάκιον vestis vilis ap. Aristoph. aliosque frequenter usurpatum cf. Dionys. H. t. VI p. 1099 R. Plut. Dem. 30, cuius loco Aeolenses βρακίον dixisse feruntur cf. schol. Ar. Vesp. 1125. inde comice formatum est ab Ar. Pac. 841 ῥακιοϲυρραπτάδηϲ cf. infra.

ῥυγχίον rostellum suum Ar. Ach. 744. Theophil. ap. Ath. III 95[a]. ϲτηθίον Alex. ap. Ath. XIII 468[a] ex emendatione Dindorfii.

ταρίχιον caruncula pisciculi sale indurati Ar. Pac. 563 quem locum affert Ath. III 119[d] ubi et Cephisodori Pherecratisque auctoritates laudantur.

τρυχία panniculi ab Hes. ῥάκια explicatum ap. Hipp. t. I p. 595 Foes. saepius legitur.

τεμάχιον frustulum Plat. Conv. 191[e]. cf. Crobyl. com. ap. Ath. I 5[f]. Archedic. ibid. VII 294[b].

-αρ — -ατοϲ.

γονάτιον Luc. Asin. 10.

δοράτιον cf. supra. ἡπάτιον iecusculum Ar. ap. Ath. III 66[e]. cf. ib. III 103[e]. Heges. Eubul. ib. 107 A. P. XI 35.

ϲτεάτιον adeps pusilla Alex. ap. Ath. VII 326[e]. Paul. Aeg. III 28. Contracta forma δελήτιον Sophronis fuit non Sophoclis. cf. supra.

-ην — -ενοϲ.

λιμένιον portus angustus Strab. t. II p. 133. 160. t. V p. 320. 506 Tzsch.

-ην — -ηνοϲ.

χηνίον anserculus Ath. XIV 664[e].

-ηρ — -εροϲ.

πατέριον Luc. Menipp. 21. A. P. VII 343. syncopen experta sunt ἀνδρίον homuncio Ar. Pac. 51. Theocr. V 40 atque γαϲτρίον ventriculus Archestr. ap. Ath. VII 286[d]. de translata huius v. significatione cf. supra.

-ωρ — -ατοϲ.

ὑδάτιον aquula Plat. Phaedr. 229[c].

-ων — -ονοϲ.

ἀλεκτρυόνιον gallus pusillus Ephipp. ap. Ath. VIII 359[b]. meretricis nomen in A. P. VIII 101.

εἰκόνιον imaguncula Plut. Publ. 22. Polem. perieg. ap. Ath. XIII 574[c]. Lucill. A. P. XI 75.

κανόνιον bacillum Luc. Hermot. 3. apud Poll. I 192 sunt κανόνια τὰ ξύλα ἐφ᾽ ὧν αἱ ϲανίδεϲ ἐπίκειται.

πνευμόνιον pulmunculus Heges. ap. Ath. III 107[c]. Cταγόνιον meretricis nomen ap. Ath. XIII 586[b]. ϲιαγόνιον maxilla Hipp. I 469 Foes.

ϲινδόνιον Dio Cass. 79, 13.

τρυγόνιον turturilla Philodem. A. P. VII 222.

τεττιγόνια cicadarum minorum species Arist. H. A. V 30.

Χελιδόνιον meretricis nomen ap. Luc. tum herba quaedam ap. Theophr. H. P. VII extr. cf. schol. Theocr. XIII 41.

-ων — -οντος.

γερόντιον senicio Ar. Nub. 780. Eq. 42. Ach. 993. Eubul. ap. Ath. 993. Xen. Anab. VI 3, 22. Theocr. IV 58.

Δρακόντιον fabulae quae Timocli adscribitur nomen, quo parasitum quendam vocatum esse ait Schweighaeuser. cf. Ath. VI 237[b]. de pisce et herba quae sic nominabatur et ipsa Romanis ita vocata cf. supra.

-ων — -ωνος.

κλωνίον de cuius accentu v. supra. Demetr. ap. Ath. XV 680[a]. Meleag. A. P. XII 256.

κοινώνιον recentiorum scriptorum vocula, qua Atticum δωμάτιον explanari solet, ut a schol. Ar. Lys. 160.

πωγώνιον barbula. π. μακρὸν ἔχων ubi erit qui μικρὸν emendet ap. Luc. Paras. 50. cf. Aumian. A. P. XI 157.

τριβώνιον palliolum cf. Ar. Plut. 614 id. ap. Poll. III 43. Theophil. ep. 7 ἀθλιώτατον τριβώνιον ἀμπεχόμενος cf. Lys. 32, 116, quem locum attestatus est Dion. Hal. t. V p. 510 ed. Reisk. Isocr. 5, 11. locus Apuleii met. I p. 100, 28 dicentis: 'scissili palliastro semiamictus' comparandus videtur cum Luciano in dial. mort. 332 γέρων — τριβώνιον ἔχων πολύθυρον, ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον. cf. schol. Ar. Vesp. p. 116 τριβώνιον ὃ οἱ δικασταὶ φοροῦσιν. cf. Ar. Vesp. 33.

φωσώνιον. E. M. φώσσιον σινδών. φωσσώνιον λινοῦν τι ἤτοι σινδόνιον cf. Luc. Lex. 2 ubi φωσώνια a schol. ταινίαι ὀθόνιναι explicantur.

χιτώνιον tunicula. muliebrem t. ita peculiariter dici refert Luc. Lex. 25: οἷον πῶς οἴει κατὰ γῆς δῦναι ηὐχόμην, ἀκούων σου ἐπιδεικνυμένου· ὅτι χιτώνιον μὲν καὶ τὸ ἀνδρεῖον ᾤου λέγεσθαι· δουλάρια δὲ καὶ τοὺς ἄρρενας τῶν ἀκολούθων ἀπεκάλει. ἃ τις οὐκ οἶδεν ὅτι χιτώνιον μὲν γυναικὸς ἐσθής, δουλάρια δὲ τὰ θήλεα. id Aristophanis aliorumque auctoritatibus probari potest, ut Ar. Plut. 985 — καὶ ταῖς ἀδελφαῖς ἀγοράσαι χιτώνιον ἐκέλευσεν ἄν, τῇ τε μητρὶ θοιματίδιον. cf. id. Lys. 48. id. ap. Poll. VII 56. Plat. ep. XIII 263[a]. Theocr. XV 30. Lucian. dial. meretr. 14 τὸ μικρὸν — χ. idem tamen Lucianus in libro de merc. cond. χιτώνιον ὑπόσαθρον de virili tunica ut ap. Plut. Pomp. 8. ita aeque promiscue χιτωνίσκος cf. supra.

-μα — -ματος.

ἀγαλμάτιον imaguncula Luc. Somn. 3 ἀγαλμάτιά τινα μικρά. de Veneris simulacro Ath. XV 676. cf. Plut. Lyc. 25. Syll. 29.

ἀθυρμάτιον puerile oblectamentum Luc. dial. meretr. 1, 15. Philox. ap. Ath. XIV 644[d].

ἀποσπασμάτιον particula avulsa cf. Cic. ad Att. 2, 1 'sunt praeterea duae partes orationis quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae.' cf. Polyb. t. II p. 580 ed. Schw.

Ἁρμάτιον titulus fabulae Theopompi Colophonii ap. Ath. IV 183[b].

ἀκουσμάτιον cantiuncula Luc. Philop. 18.

βουλευμάτιον Ar. Eq. 100.

γραμμάτιον tabella, differre dicitur a γραμματεῖον cf. Orus in E. M. Hauptm. ad Antiph. de Herod. caed. 125, 39 et cf. supra et infra.

δωμάτιον muliebre cubiculum dormitorium. cf. supra. cf. Ar. Lys. 160. Ran. 100. de conclavi domus superiore Herod. 1, 12. cf. Poll. IV 129. universe de domuncula Eubul. ap. Ath. XV 679[b].

δελεασμάτιον exiguum allectamentum. Philox. ἐν Δείπνῳ ap. Ath. IV 146[f].

δερμάτιον pellicula. Plat. Eryx. p. 210[a] schol. Ar. 366.

διηγημάτιον narratiuncula. Strab. t. V p. 591 Tzsch. schol. Ar. Av. 439.

δραμάτιον fabella, ut τὸ σατυρικόν ap. Ath. XII 585[d]. Plut. Dem. 4.

ἐκπωμάτιον parvulum poculum Strab. t. VI p. 343 extr.

ἐμβαμμάτια intinctus Ath. IX 404[c].

ἐπιγραμμάτιον Plut. Cat. min. 1. A. P. VIII 11.

ἐρυμάτιον Luc. dial. meretr. 9.

ἡδυσμάτιον condimentum. Teleclid. in Ἀμφικτ. ap. Ath. VI 268[c].

θωπευμάτιον assentiuncula Ar. eq. 785.

ἱμάτιον cf. supra.

καλυμμάτιον Aristoph. in Babyl. (frgm. 54 ap. Poll. V 173).

καταχυσμάτιον iusculum et condimentum quo perfunditur caro assa. cf. Pherecr. ap. Ath. VI 268[f].

κερμάτιον nummulus. Plut. Cim. 36. interdum sine deminutionis vi ut Hegesander ap. Ath. VI 260[b]: ἱστορεῖ δὲ περὶ αὐτοῦ (Ἀγαθοκλέους) καὶ τάδε Ἡγήσανδρος ὁ Δελφός, ὡς τοῖς Ἀθήνησιν εἰς τὸ Δρομέων Ἡράκλειον ἠθροισμένοις τοῖς τὰ γελοῖα λέγουσιν, ἀπέστελλεν ἱκανὸν κερμάτιον i. e. magnam nummorum vim. cf. A. P. XI 346.

κλυσμάτιον clyster primitivi potestate praeditum apud medicos, ut κλυστήριον cf. supra.

κομμάτιον, parvum segmentum. de choricis carminibus cf. schol. Ar. Nub. 506. schol. metr. Ar. Plut. 464. Plutarchus apophthegm. de Timotheo citharoedo: ποτὲ ᾄδων τουτὶ τὸ κομμάτιον. cf. Dion. Hal. de compos. t. V p. 217 R. Alciphr. 1, 1.

κτημάτιον praediolum. Alciphr. I 36.

λοιδορημάτιον conviciolum. Ar. fr. (222) citatum ab Arist. Rhet. 3. cf. p. 205.

λωμάτια (μήλινα) ad verbum *fimbriolae* ap. Lucill. A. P. XI 210, ubi tamen ex Stephani in Thes. interpretatione vestimenta significari videntur melina, isque Plaut. Epid. II 2, 49 comparat.

μνημάτιον titulus fabulae Diphili et Epigenis ap. Ath. II 124[d].

ναμάτιον fonticulus Ath. III 73[a].

νομισμάτιον nummulus, citatur ex Callistrato a schol. Ar. Vesp. 213 v. ἐλάχιστον.

οἰκημάτιον proprie aedicula, vulgo de conclavi angusto Luc. Asin. 3.

ὀμμάτιον ocellus cf. Lob. Phryn. 211.

πεμμάτιον placentula Ath. XIV 645[d].

περιζωμάτιον parvum subligaculum. Dion. H. t. IV p. 2034 R.

περικομμάτιον minutal[34]) Ar. eq. 780. Athenio ap. Ath. XIV 561.

πλεγμάτιον implicamentum. Arist. part. anim. 4, 4.

ποιημάτιον Plut. Cic. 2. Luc. Philop. 13. Athen. VII 283. XV 685.

πνευμάτιον animula Polyb. XV 31, 5. Damoxen. com. ap. Ath. III 102 et crebro sine deminutione ap. M. Anton. comm. II 2. VIII 25 cet.

πολισμάτιον oppidulum crebro ap. posteros histor. ut ap. Polyb. 1, 24, 12. Plut. Publ. 26 etc.

πραγμάτιον negotiolum Ar. Nub. 198. 994. Dion. de comp. verb. t. V p. 13 R.

προβουλευμάτιον Luc. Paras. 42.

ῥευμάτιον parvulum fluentum Plut. Thes. 27.

ῥημάτιον vocula Ar. Ach. 419. Nub. 952. Lucian. de merc. cond. 17. Hermot. 70. 81. Philops. 8. Machon ap. Athen. XIII 587[d].

σκαλαθυρμάτια nugae ludicrae. Ar. Nub. 630. ἐγκεῖσθαι huic voculae, inquit illius scholiasta, τὸ ἄθυρμα, quasi dixerit παίγνια καὶ οὐδὲν ἀξιόπιστα.

σκωμμάτιον cavillula Ar. Vesp. 1289.

σοφισμάτια consilia astutula Luc. Paras. 43.

σπερμάτιον seminis granulum Theophr. ap. Ath. II 66[e]. M. Anton. V 4. XII 26.

στρωμάτια in primitivi vim accepit M. Anton. V 1.

συγγραμμάτιον libellus Luc. Herod. 1. Ath. XV 673[d].

συγκριμάτιον primitivi loco ap. M. Anton. VIII 25.

συστημάτιον schol. metr. Ar. Plut. 637.

συστρεμμάτιον (ὑδάτων) *globulus* citatur a Steph. in Thes. ex Aristot. libro de admirabilibus.

σχημάτιον staticulus.[35]) σχ. Λακωνικά Her. V 129.

τριμμάτιον intrita. Diph. ap. Ath. IV 231[e]. Archestr. ib. VII 310[d]. ὑποτριμμάτια Poll. VI 10.

τριχωμάτιον capillus tenuis Arist. phys. 3. Ath. VI 257.

ὑπομνημάτιον pro primitivo usurpavit M. Anton. III 14.

Φιλημάτιον meretricis nomen ap. Luc. dial. mer. 11.

χναυμάτια cupediae Telecl. ap. Ath. VI 268[e].

De tot igitur in eandem terminationem exeuntium nominum diversitate universe quid sit statuendum, accuratius iam ut summatim perscribatur, primum commemoranda sunt quae dactylici rhythmi caussa formata cum primitivis suis vi ac potestate plane congruunt, ut ἀέθλιον, ἐλώρια, alia cf. supra. deinde quorum primitiva aut periisse, ut κοσκυλμάτια, ψυδράκια cf. supra, aut ita spreta videntur, ut pro iis in deminutivorum modum flexa vocabula certis quibusdam scriptoribus probata fuerint, ut ἱμάτιον, ἀκόντιον cf. supra. porro quarum vocum nominativi cum communi excidissent usu, eorum loco formae coeptae sunt usurpari deminutivis apprime similes, ut ἰνίον, ἀρνίον cf. supra.

Late vero patet eorum nominum paronymia, qua magna epicis maxime peculiarium vocum copia nihil fere significatione differt ab iis quae

34) cf. Martial. XI 32. 111. Iuvenal. XIV 29. 35) Plaut. Pers. V 2, 43.

eorum primitiva esse videntur, ut οἰκία, ἐρκίον, θηρίον, τειχίον cf. supra. alia prorsus est ratio eorum quae defectiva genetivo ferme casu iudicialia sunt nomina ut ἀδικίου, λειποστρατίου cet. cf. supra, et quae vocantur τεμενικά cf. supra.

Tum quorum propagines huiusmodi terminatione expressae primitivorum denotant potiones, ut φαρμάκιον, ὄπιον, συκίον cf. supra, quibus potestate paria videntur, quae derivata concretam acceperunt significationem, ut εὐαγγέλιον, βασκάνιον, διδασκάλιον cf. supra. ab his ortu suo discrepant, quae partim adiectiva sunt, ut ὅρκιον, μόριον, ὅριον cf. supra, partim verbalia, ut ἱστίον, ἐρείπια cf. supra. postremo inveniuntur quae habeant neque nomina ad quae dilucide revocari possint neque verba, non modo Homeri usu nota, ut λαισήϊα, κισσύβιον alia cf. supra, verum etiam citerioris aetatis vocabula, ut ἄπιον, ἄμφιον, ἄντιον alia.

Deminutivorum denique ipsorum significatio si a deminutionis notione remotior esse videatur, causa quaerenda est ex metonymia, ut σκάφιον, κηπίον cet. cf. supra. postremo usu venit, ut multae voculae, forma quidem deminutiva, hanc deminutivam exuerint significationem, ut certae quaedam nominum appellationes, ut χωρίον, ὀθόνιον, alia medicorum[36]) potissimum, opificum vocabula, deinde quibus vasorum, vestimentorum genera operaque manu facta significantur cf. supra.

VII.
DE DEMINUTIVIS IN -ΙC CADENTIBUS.

Graeci sermonis nomina in -ις deminutiva, quorum sexu significationis quaedam declarari videtur proprietas, num a sua natura adeo discesserint, ut virile quoque secus voces aliqua deminutionis vi infringendae in muliebres mutatae fuerint, cum quaeritur, vix ullam afferre possunt dubitationem animalium appellationes: κανθαρίς[37]) sive est scarabeus frumentum erodens sive piscis quidam (cf. Ath. V 32[f]), κικυμίς (cf. Lob. proleg. p. 171) *noctua*. scholiasta ad Ar. Av. 264 κικάβην explicans ait: τὰς γλαῦκας οὕτω λέγουσιν, ὅθεν κικάβας αὐτοὺς λέγουσιν. ἔστι δὲ τῆς Ἀθηνᾶς οἱ δὲ κικυμοΐδας, ὡς Καλλίμαχος· κάρτ' ἀγαθὴ κικυμίς. quod scholium aut corruptum est aut decurtatum. tum κορυδαλίς, alauda, de cuius scriptura cf. Kiessling. ad Theocr. VII 23. tum λαρίς i. q. λάρος apud Leonidam Tarentinum A. P. VII 652; neque certum est, num σκορπίδες atque σκορπίοι diversi fuerint pisces, quos Aristoteles in libro de anim. V 9, 5 p. 194 et saepius commemorat. cf. Ath. VII 230[f].

'Animantium[38]) quoque sexus hac ratione discriminari posse exemplo est ἀλέκτωρ ἀλεκτορίς. sed cetera, quorum memoria succurrit, paraschematista sunt, aut diversas species significant, βάτος et βατίς, φύκης et φυκίς.'

Eiusdem rationis videtur esse θυννίς. ex grammatico quodam E. M. 459, 21 θυννίδες οἱ νῦν θύννοι ἢ ἄλλοι τινὲς ἰχθύες patet, iam

36) cf. supra. 37) κανθαρίς vas significans videtur deminutivum, cf. supra. 38) sunt verba Lobeckii path. p. 46.

veteribus non satis constitisse, quomodo illi inter sese pisces discrepaverint, etsi Athenaeus p. 303 testatur: Cώcτρατοc δὲ ἐν δευτέρῳ περὶ ζώων τὴν πηλαμύδα θυννίδα καλεῖcθαι λέγει. μείζονα δὲ γινομένην θύννον, ἔτι δὲ μείζονα ὄρκυνον, infra subiungens, Athenienses dixisse θυννίδαc, quos alios θύννουc. cf. Ar. et Iphicr. ap. Ath. III 118[d]. IV 131[e].

Pariter Aristoteles π. τ. ζ. ἱcτ. 6, 13 ed. Bekk. τευθίδεc τε καὶ τεῦθοι καὶ cηπύαι non in deminutivorum modum distinxisse videtur. ceterum huiusmodi species etiam a primitivis aequalis sexus denominatas fuisse, ut βελονὶc, δρακαινὶc, μαινὶc, cαυρὶc, ὑαινὶc infra ostendemus. eadem cautio, ne voces quae primitiva videntur habere, temere deminutiva putentur, adhibenda est in plantarum quodam genere, ut in τευτλὶc s. cευτλίc, quamvis Ath. XI 371[a] Diphilum citet comicum aliquem vituperantem qui τευτλίc usurpaverit pro τεῦτλον. neque omittemus citare infra eiusdem generis paronyma: γογγυλὶc, κολοκυντὶc, κεγχρὶc. similiter Attici quidem accurate distinxere ῥαφανίc a ῥάφανοc cf. Lob. ad Phryn. 141.

Eiusdem forsitan speciei sit ὀροδαμνίc ap. Theocr. VIII 38 τοὶ δὲ ποτὶ cκιεραῖc ὀροδαμνίcιν αἰθαλίωνεc. a quo cpyllio deminutivum longe abhorret, quam ad rem convenit scholiastes h. l. dicens ὀροδαμνίδεc παντὸc δένδρου τοὺc κλάδουc λέγει.

In huiusmodi igitur nominibus, nisi in animantibus per sexum femininae voces significabantur, generis mutatio aperte nititur paronymia, de cuius ratione infra copiosius exponetur. plus vero mirationis faciunt rerum nomina, quae ab impari genere profecta deminutiva plerumque existimantur, ut βαθμὶc, cuius ultima syllaba contra Pindari usum a Meleagro epigrammatista (VII 428) producta est, quod neque cum significat statuae basin, ut ap. Pind. Nem. 5, 1 unde per figuram apud eundem P. 5, 7 αἰῶνοc ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο, cf. Hesych., neque cum a Polluce ad peculiarem medicorum usum respiciente explicatur: αὕτη ἡ cυμβολὴ τοῦ πήχεωc πρὸc τὸν βραχίονα βαθμὶc καλεῖται. cf. Foes. Oecon. Hippocr. s. v. βαθμίc, ad deminutivi se rationem referri patitur. ceterum videtur hoc ab Atticorum usu abhorruisse. nam unus Aeschyli Suppl. 816 locus, ubi βαθμὶ legitur, corruptus est. Triclinius autem Sophoclis Oed. R. 142 βάθρα per βαθμίδεc exponens: ὁ τόποc ἔνθα ἡ ἐκκληcία ἐγένετο, βαθμίcιν ἦν κύκλῳ διειλημμένοc, ἄλλαι ἐπ' ἄλλαιc, haud dubie ad aetatis suae usum respexit. huic et origine et significatione affine est αἱ βωμίδεc, proprie *arulae* sive earum formam referentes gradus semel apud Herodotum 1, 126 ἐποιήθη δὲ ὧδε αὕτη ἡ πυραμίc. ἀνὰ βαθμῶν τρόπον, τὰc μετεξέτεροι βωμίδαc ὀνομάζουcιν. deinde ex Atticorum fragmentis huc afferri potest κωρυκίc culeus, deminutivum vulgo nominatum. Eust. 1534, 37 κώρυκον δὲ τὸν θύλακον — οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ κωρυκίδα τὸ τοιοῦτον cκεῦοc καλοῦcιν, παράγοντεc καὶ Ἀριcτοφάνουc χρῆcιν τοιαύτην· Cπυρὶc οὐ cμικρὰ καὶ κωρυκὶc ἢ καὶ τοὺc μάττονταc ἐγείρει. quem versum ex Holcadibus sumtum fuisse colligi potest ex Polluce X 172. tum translatum fuit ad rubiginem qua laborant ulmi sec. Theophr. H. P. 3, 15.

huius loci etiam est citerioris aetatis vocula στυλίς, quae non semel de loco certat cum στηλίς cf. Str. t. II p. 226 ed. Tzsch. Plut. Pomp. 24. vere autem deminutiva esse videntur ψωμὶς a lexicographis omissum, quod secundum Ath. IX 188 Aristoteles usurpavit. deinde θρονὶς ap. Themist. 31, βροχίς tendicula Opp. 3, 595 et poculorum quaedam genera, ut κανθαρὶς saepius apud Hippocratem et κυαθίς, κοτυλῶδες ἀγγεῖον ap. Ath. XI 480[b], ubi Sophron citatus est, quae tamen sine deminutionis vi et ipsa esse possunt certae primitivorum species, quemadmodum quae ea terminatione praedita aut varia primitivorum sunt genera, ut πλοκαμὶς quod Eustathius 1528, 17 a πλόκαμος significatu non differre ait, cf. Spohn. de extr. Od. parte p. 175, aut ita comparata, ut quae in eam formam flexa fuerint, significent quae ex primitivorum materia manibus facta esse apparet, veluti φορμίς, *sportula*, proprie *corbis et iuncis texta* cf. schol. ad Ar. Vesp. 58, eandem illud secutum analogiam quam σαργανίς, de quo infra, et σχοινίς, ultima syllaba longa, *funis ex iuncis confectus* veluti citerioris aetatis vocula βιβλίς a βίβλος. tertiae denique flexionis impari genere insignia sunt: πινακὶς, tabula, quo usi sunt Machon ap. Ath. XIII 582[c]. Phylillius apud Poll. X 58 cf. Spohn. l. c. deinde κανονίς regula c. l. ἐργαλεῖον καλλιγραφικόν sec. Suid. idque ultima syllaba producta vere deminutivam videtur habere significationem. postremo a neutrius generis primitivis nulla in -ις flexa deminutiva reperiuntur, praeter φασγανίς, culter tonsorius, quo usus est Phanias in A. P. VI 30. nam reliqua quae huius deminutionis affinia videntur esse, μερίς, λεπίς s. λοπίς, de quibus infra, προσωπίς huno locum iniuria obtinent. hoc quidem nomen vulgo deminutivum appellatum citavit Pollux X 227 ex Aristophanis Danaïdibus inter τὰ ἐν γυναικωνίτιδι σκεύη atque alibi idem II 453: καὶ παρωπὶς δὲ ἡ καλουμένη τῶν γυναίων (scr. γυναικῶν) προσωπίς et Hesychius ad suae, ut videtur, aetatis usum respiciens: προσωπεῖον ἡ νῦν καλουμένη προσωπίς. neque deminutivum videtur esse κληματίς, pluraliter tantum usurpatum. recte Hesychius κληματίδες αἱ τῶν κλημάτων δεσμαί cf. Iungerm. ad Poll. VII 109. hanc collectivam potestatem confirmant cum Thucydides VII 53 καὶ ἐπὶ τὰς λοιπὰς, ἐμπρῆσαι βουλόμενοι, ὁλκάδα παλαιὰν κληματίδων καὶ δᾳδος γεμίσαντες, tum Ar. Thesm. 728 ἴωμεν ἐπὶ τὰς κληματίδας, ὦ Μανία. cf. D. S. XII 13. Luc. epigr. A. P. VI 228.

Hinc suam fortasse habet explicationem χαμευνὶς stramentum, cuius pluralis χαμευνίδες (Theocr. VII 103) explicatur a scholiasta Ar. Pac. 436 ἰδίως στιβάδας τὰς χαμευνίδας ἐκάλουν.

Ut tamen, nequid omisisse videamur, ad illa priora revertar, adiectivorum speciem prae se ferre videntur ἐσοπτρίς speculum cf. Iac. ad Anth. Pal. t. VIII p. 169, μετανιπτρίς idem quod μετάνιπτρον. Ath. XV 693, περιβαρίδες calceamenta muliebria ap. Ar. Lys. 45, μυρτοχειλίδες pro μυρτόχειλα dictum cf. Poll. II 174.

Huius generis etiam sunt quae significant animalium unde derivata sunt stercus, ut ὀνίς Hipp. I 265 (Ar. Pac. 4). ἡμιονίς Hipp. I 583 Foes. his pro rei ratione apprime similia sunt, quorum primitiva a derivatorum significatione ita discrepant, ut haec arborum unde ipsa profecta

sunt, *nucleos* sive *grana* significent, ut δαφνίς lauri bacca Hipp. I 587 Foes., κεδρίς Ar. Hipp. I 572, κεγχραμίδες grana ficuum et olivarum Hipp. I 587. Arist. H. A. 5. cf. ἀρκευθίς bacca iuniperi Hipp. I 572. haec vero adiectivi species etiam clarius perspicitur, cum vocula in -ις vel a colore, quem res refert, vel ab alia proprietate denominata est, ut πιτυρὶς ἐλαία cf. Ath. II 65ᵉ. cf. Lob. Path. I p. 279 n. 49.

Vulgaris autem sermonis nomina in -ις terminata, quae supra in medio proposui λεπίς s. λοπίς (cf. Lob. proleg. p. 443) et μερὶς (semel ap. Eur. Suppl. 237) nemo adhuc in deminutivis collocavit. improbatum vero fuisse Atticis talem metaschematismum, quo nulla significationis mutatione nomina in alias transirent formas, licet videre ex Athenaeo IV 658ᵉ reprehendente Macedones, qui mensam secundam ἐπιδειπνίς dixerint pro vulgari ἐπίδειπνον. hac vituperatione num dignus sit Diotimus, qui in epigrammate (A. P. VI 261) ἀνθεμίς, flos, usurpavit pro ἄνθεμον, cum illud etiam esse possit paronymon voculae ut videtur obsoletae ab Hesychio servatae ἀνθέμη, vix potest discerni.

His igitur nominibus nemo erit qui comprobet, Atticos in iis deminutivis ad primitivorum genus non respexisse. raro haec regula ab iis migrata est in deminutivis -ίσκος et -ίσκη, uti in σκελίσκος ap. Ar., σανδαλίσκος ap. eundem poëtam, atque in iis quae per metonymiam a primitivis diversam acceperunt significationem, ut ἀσπιδίσκος, μηνίσκος, μυΐσκη, de quibus infra uberius disputabitur. at κοτυλίσκος apud Ath. XI 479ᵉ etiam a κότυλος (Ath. p. 480ᵇ) duci potest.

Quantum vero in Graecorum sermone valuerit paronymia intellegitur ex magna vocabulorum in -ις exeuntium, quae a primitivis suis non differre inveniuntur, copia. ita iam ex vetustissimi poëtae usu liquet, fuisse nomina in -ις, quae primigeniorum vim ac potestatem vel aequipararent, vel per metonymiam quandam ad eorum quasi dignitatem adspirarent. haec autem alia gravi, alia acuto signabantur accentu: 'Veterrimos Atticos, inquit Lobeckius ad Phryn. p. 165, ἴγδιν dixisse apparet ex Aristophanis et Solonis versibus', et scholiastes ad Theocr. 1, 75 (p. 837 ed. Kiessl.) ἔστι δὲ ἡ δάμαλις, τῆς δαμάλεως· οἱ δὲ ποιηταὶ καὶ ἡ δαμάλη τῆς δαμάλης λέγουσιν, ἀφ' οὗ ἐνταῦθα καὶ αἱ δαμάλαι. pertinet huc E. M. 379, 21 ἐροτίς (scr. ἔροτις)[39]) ἡ ἑροτή· ὡς γὰρ παρὰ τὸ κάλπη κάλπις καὶ φήμη φῆμις, οὕτω καὶ τὸ ἑορτή ἑορτίς καὶ καθ' ὑπέρθεσιν ἐροτίς (scr. ἔροτις) ὡς αὐλή αὐλίς (scr. αὖλις) cf. Seidl. ad Eurip. Electr. 620.

Idem metaschematismus est in voc. Homericis ἄσις, κάλπις[40]), ἄγυρις[41]), κίθαρις, ἄκρις (iugum), κύστις, κόνις et in τράμις ap. Aristoph. et Luc. in nonnullis huius generis vocabulis accentus fluctuat, ut in δάπις et ταπίς (cf. Sturz. lex. Xen. s. v.) et κίστις pro κιστίς ludente fortasse Aristophane propter κύστις cf. Elmsley ad Ar. Ach. 1099. Herodianus secundum schol. Ar. Vesp. 320 exponens καδίσκους κάλπεις,

39) cf. Giese in libello qui inscriptus est: über den äolischen dialekt p. 288. 40) in cantico ap. Eur. Hipp. 122. 41) in cant. ap. Eur. I. A. 743.

ἔνθα τὰς ψήφους καθίεσαν οἱ δικάζοντες (cf. Iac. A. P. p. 309) aperte distinxit a καλπίς, quod fuit poculi genus ab Athen. XI 468ᶠ ex Philemone citatum: multa tamen praeterea in -ις desinentia nomina eodem atque deminutivorum accentu distincta horum significatione carent. in his iterum secernendi sunt animantes a rebus, quarum non pauca in -ις flexa nomina putanda sunt paronyma.

Prioris generis sunt δμωΐς Homeri aliorumque poëtarum usu nobilitatum, Atticis vitatum, citerioris aetatis scriptoribus non spretum, ut Plut. Cam. 33. ea autem Atticistis interdum improbata fuisse, exemplo est Thomas Magister, qui ab Atticis abiudicat ἑταιρίς, quo non modo Xenophon, sed alii quoque spectatae auctoritatis scriptores usi sunt, quamvis eiusdem notae nomina θεραπαινίς (Plat. legg. VII 808ᵈ), ὀρχηστρίς (Aristoph.), παλλακίς non Homero tantum, sed optimo cuique scriptori comprobata sint, omnisque fides videtur deroganda scholiastae Ar. Plut. 435 discriminanti καπηλίς, acutum, velut deminutivum, a κάπηλις gravato: ἡ τὸν οἶνον πιπράσκουσα γυνή.

Eodem modo formatum est ἀμνίς (cf. Lob. proleg. 452 § 7), sic tamen, ut ab ἀμνή et ἀμνός derivatum esse possit.

Cum his vocibus faciunt nomina per metonymiam formata, maximam partem a poëtis frequentata, ut εὐνὶς uxor apud Eur. I. A. 397, σηκὶς ancilla ap. Ar., ἐρωτὶς amica ap. Theocr. IV 59 pariterque κλιμακίδες, scilicet κολακίδες, quarum per terga ut per scalas Artibazi mulieres rhedas ascendere solere ait Clearchus ap. Ath. VI 456 cf. Plut. de discr. adul. et am. 5. neque magni interest utrum τηθίς, matertera, cum Lobeckio ad Phryn. p. 134 deminutivum dicas an metonymon, ut ἀλκυονίς Apollon. Rh. I 1085, si est *pullus halcyonis*. eiusdem analogiae sunt, quorum prototypa sunt mascula iam supra citata, quibus aliquot, quod ad primitiva attinet, ὁμογενῆ respondere videntur: ἀηδονίς Eur. Rhes. 506. Theocr. VIII 38, χελιδονίς Iac. A. P. III p. 366, κακκαβὶς perdix Alcman ap. Ath. IX 389. haec hactenus de animalibus.

Iam alterius classis, quibus res significantur, nomina non alia nisi terminationis diversitate a primitivis diversa sunt ληΐς apud Homerum et Aeschylum, παρηΐς apud Aeschylum et Euripidem. eadem forma insignitum est ἀγκαλίδες apud Homerum, ut in formulis ἐν ἀγκαλίδεσσι εὕδειν et φέρειν atque ἀγκαλιδοφόρος s. ἀγκαλιδηφόρος et ἀγκαλιδαγωγεῖν certum definitumque derivati usum satis comprobant. denique a neutrius generis primitivo profectum est βλεφαρίδες. nomina denique in -ις ab Homero tragicisque usurpata, quibus fere deminutiva attribuitur vis, iam supra in medio proposita sunt: σκαφίς, ψηφίς, πλημμυρίς Homeri, μηλίς, οἰνανθίδες lyricorum, περονίς, κρηνίς, στολίς, στροφίς. cf. p. 187 sq.

Haec proxime attingunt, quorum primitiva verbalia abstractam, ut aiunt, habent potestatem, quae cum forma -ις exprimuntur, recipiunt fere concretam. hanc formationem minus recte deminutivam dicit Methodius in E. M. 48, 44 ἀκὶς τὸ τοῦ βέλους σιδήριον. παρὰ τὸ ἀκή οὖν γίνεται ἀκίς, σκάφη σκαφίς, ἀμνή ἀμνίς. quae ultima commemoravit, cum illo non possunt comparari. illud enim verbale est; quales voculae

raro tantum modo primitivorum adaequant potestatem, ut v. c. βολίς etiam pro βολή valet cf. Lob. proleg. p. 450. eiusdem rationis sunt γλυφίς penecillus ap. Ar. Ran. 1545, κοπίς gladius Persicus ap. Xen., unde κοπίδι βαρβαρικῇ ap. Plut. Alex. 15 (cf. Curt. VIII 14, 29) et culter victimarius ap. Eurip. unde Strabo μαγειρικῇ κοπίδι. sic κουρὶς paronymon in E. M. apte appellatum cf. Bekk. An. 47 κουρίδες, μάχαιραι, αἷς κείρουσι τὰ πρόβατα. eiusdem notae est ξοΐς, scalprum, μεταλλικὸν σκεῦος καὶ λιθουργικόν sec. Hes. cf. A. P. I 4, 68. tum σφαγίς, culter victimarius, ap. Eur. 816. cum hoc congruit δορίς, cuius significationis ratio excussa est in E. M. 284, 13 δορίδες, μάχαιραι, μαγειρικαὶ εἰς τὸ ἐκδείρειν τὰ θύματα ἐπιτήδειαι. cf. Poll. VI 89. X 104. Hes. Ath. IV 169. tum ῥαφίς, acus sutoria saepe obvium apud Hippocratem, cf. Bekk. anecd. 113, 14, et per metonymiam piscis quidam cf. Suid. s. v. denique λαβίς cf. schol. Il. I 219.

Eiusdem paronymiae sunt quorum prototypa cum derivatorum significatione plane congruunt. de nominum ὀλπίς, παγίς natura iam diu disputavit vir summus ad Phryn. p. 265. huc pertinent quaedam piscium species, ut βελονίς Hermipp. ap. Poll. X 136 qui et βελόνη pro pisce ex Eupolide citavit. cf. Ath. VII 323[b] ubi Speusippus composuit: κέστραν, βελόνην, σαυρίδα, de quo mox. tum δρακαινίς in piscium καταλόγῳ commemoratur ab Ephippo ap. Ath. VII 323. μαινίς i. q. μαίνη apud Arist. Ran. 984 pisciculus qui halecis instar sale condiebatur. cf. Ath. II 64[d]. VIII 342. tum σαυρίς nominis et σαύρα et σαῦρος paronymon in medio proposuit Speusippus ap. Ath. loco supra citato. tum ὑαινίς Epicharm. ap. Ath. VII 306. cf. 226[e]. Numenius ib. 323 eundem piscem dicit ὕαιναν. neque voculae τριγλίς, quae in lexicis pro deminutivo venditatur, ex paucissimis quidem quibus legitur locis species satis clara est, quamquam Dorion ἐν τῷ περὶ ἰχθύων ap. Ath. VII 300[f] esculentis piscibus adnumerat τριγλίδας μικράς: quo attributo ut deminutio describatur, tantum abest, ut contrarium demonstrari possit, neque quidquam Athenaei locus p. 313[e] probat, ubi ex Epicharmo Hecata referuntur cibi: μαινίδες καὶ τριγλίδες.

Tum rerum appellationes:

ἀτμίς[42]) vapor, cuius paronymon ap. Hesiodum theog. 486 legitur, in Bekk. An. 460 ἀναθυμίασις, ἄκρον πυρός, ut ap. Ath. II 410 πυρὸς ἀτμὶς cf. Plat. Tim. 431, 4 (87[a]). Hipp. II 55 Lind. Herod. IV 75.

αἱμοῤῥοΐδες ap. Hipp. Arist. H. A. 319.

ἀνεμωνίς Nic. ap. Ath. XV 684[e].

ἀρβυλίς calceus in E. M. 135, 10 in paronymis numeratum semel legitur ap. Theocr. 7, 26.

γογγυλίς rapus Hipp. t. 1, 554 Foes. cf. Lob. ad Phryn. 103.

διφθερίς i. q. διφθέρα A. P. IX 540.

δραγμίς s. δραχμίς medicorum vocula cf. Hipp. I 481 Foes.

---

42) schol. Aeschyl. ad Sept. c. Th. 50 καπνὸς ἀπὸ ξύλου· ἀτμὸς ἀπὸ ὕδατος· αἰθάλη ἀπὸ λίθου· βδῆλος ἀπὸ λύχνων· λιγνὺς ἀπὸ ἐλαίου καὶ κηροῦ, κνίσσα δὲ ἀπὸ κρεῶν.

θριδακινὶς lactuca. Strattis ap. Ath. II 69[a].

καλαμίς cf. Papii lex.

κεγχρὶς panicum Italicum sec. Linn. Hipp. I 572 Foes.

κολοκυντὶς ἀγρία cucurbita silvestris Hipp. I 263. 573 Foes.

λιθίδες calculi, quibus gravati aegroti laborant ap. Hipp. I 512 Foes.

λοφνίς i. q. λοφνία legitur in Thessali epigr. A. P. IX 20. cf. E. M. s. v. Stephanus in thes. affert Athenaeum λοφνίαν esse dicentem τὴν ἐκ φλοιοῦ λαμπάδα.

νοτίς cuius primitivum tantum non poëtarum est non modo tragicis, sed etiam prosae orationi familiare. cf. Plat. Tim. 60[d].

οἰσυπὶς lana ovium sordida. Hipp. I 878 Foes.

πεζὶς limbus i. q. πέζα. apud Photium p. 401 πεζίδα τὴν ὤαν τοῦ ἱματίου· Ἀριστοφάνης σκηνὰς καταλαμβανούσαις.

πλευμονίς morbus quo pulmones inflammati cernuntur cf. Hipp. I 533 Foes.

σαργανὶς corbis, de cuius formatione supra p. 222 dictum est, correxit Porson Adv. p. 67. σαργανίσιν pro σαργανοῖσιν in Pratinae versu ap. Ath. III 119 cf. Mein. fragm. com. t. II 1 p. 41.

σησαμίς i. q. σησαμῆ satis antiquos invenit auctores Stesichorum vel Ibycum sec. Ath. IV 172[e] et Eupolin sec. eund. XIV 646[f] quod schol. ad Ar. Pac. 834 citeriorum poëtarum usui adscripsit.

σπινθαρὶς Hymn. Ap. 442 pro quo apud Ap. Rh. Arg. IV 1544 σπινθάριγξ cf. infra.

σταφυλίς uva ap. Theocr. 27, 9. de morbo, qui ita nominatus est, Hipp. II 57 Lind.

σπαθὶς spatha Ar. Δαιταλεῦσιν ap. Poll. X 121 ubi et Alexis citatur. cf. id. VII 74.

τιθυμαλλίς euphorbia Hipp. I 263 F.

φλυκταινὶς squamula Hipp. I 534 F. alibi.

χελωνίς i. q. χελώνη Posidon. ap. Ath. V 210[f]. cf. Papii lex.

χυτρίς olla, primitivo significatione simile num ultimam syllabam habuerit longam, ambigitur, cum Porsonus Batonis versum ap. Ath. VII 279 καὶ Λεσβίου χυτρῖδε λαμβάνειν δύο uti Schweigh. expresserat, ad Ar. Ach. 1170 emendaverit χυτρίδια. ita χυτρῖδες ex Aristotele citavit Ath. XI 464[e] ubi ante Dindorfium χυτρίδες scribebatur. ap. Herodotum V 88 variatur ἐκ χυτρίδων et ἐκ χυτρίων cf. ad h. l. Creuzer.

Iam progredimur ad ipsa deminutiva in -ις terminata. haec propter suum genus maxima parte a primae flexionis nominibus oriri per se clarum est. cuius generis sunt haec:

ἁμαξίς plostellum. Her. III 113. Ar. Nub. 854 ubi ab uno schol. μικρὸν ἁμάξιον, ab altero nescio quo iure πλακοῦντος εἶδος, quod placentulae genus illius aetate κοπτὴ vocatum fuerit, exponitur.

δεσμὶς fasciculus Hipp. I 426. 583 Foes.

ἐσχαρίς turibulum cf. Poll. X 101. Alexis ap. Ath. XIV 642[f] ubi olim male scribebatur ἔσχαρις, Plut. Poplic. 17. Crass. 16.

θυρίς, fenestra Plat. rep. 359[d]. Ar. Vesp. 338. Arist. π. ψυχ. 2, 4 Bekk. alibi.

καλπίς a κάλπις diversum cf. infra.

κεφαλίς proprie capitulum, ut σκορόδου Luc. dial. meretr. 14, transfertur inde ad extremas aliarum rerum partes, ut κεφαλίδες ἥλων ap. Ath. XI 488ᵉ indeque per metonymiam de capitis velamine cf. Aristot. rhet. 2, 24 Bekk.

κλινίς cf. Papii lex.

κιονίς, uva, morbus (Plin. II 37) ap. Hipp. I 397 Foes.

κιστίς, cistula Ar. Ach. 1138 cf. p. 223 extr.

κοιτίς eiusdem significationis a posterioribus scr. crebro usurpatum. cf. Papii lex.

κορωνίς, corolla Stesich. ap. Ath. III 81ᵈ. cf. Luc. hist. conscr. 26.

κρεαγρίς parvulus forceps. Ariston. A. P. VI 306.

κυψελίς arcula. apud Arist. H. A. 9, 30 cavernula, unde hirundines quae a Linn. *ripariae* vocantur, a Graecis κύψελοι dictae, ἐν κυψελίσιν ἐκ πηλοῦ πεπλασμέναις νεοττεύειν feruntur cf. Arist. l. c. denique de aurium sordibus aeque ac κυψέλη Luc. Lex. 9 ubi cf. schol.

λεκανίς, patella. Teleclid. com. a nostris lexicographis citatus.

λογχίς, parvula hasta. Lycophronides ap. Ath. XV 670ᵉ.

μαχαιρίς, specillum Hipp. 1, 46 F. culter culinarius cf. Iungerm. ad Poll. X 89 unde ap. Ar. Eq. 410 cum Bekkero sec. Poll. X 104 μαχαιρίδων τε πληγάς scribendum est pro μαχαιριδίων τ. πλ. quod est gladiolus cf. infra. idem Pollux X 140 citat Eupolin, qui pro *novacula* usurpaverit cf. Phot. lex. 250.

πελλίς pelvis. Hipponax ap. Ath. XI 495ᵈ qui et ἐκ πελλίδος et ἐκ πέλλης πίνειν dixisse traditur, ubi et Phoenicis Colophonii auctoritas adscripta est.

πυλίς, ostiolum s. portula Thucydidi Herodoto aliis frequenter usurpatum.

σειρίς, funiculus Plut. Lucull. 7.

σκυταλίς parvus fustis Her. IV 60.

στυλίς cf. p. 222.

σιπυΐς (σμικρή) pyxis Hipp. I 685 F.

στραγγαλίς, resticula. Strattis ap. Poll. X 183 et figurate στραγγαλίδες τὰ δύσλυτα ἅμματα cf. Suid. s. v. Zonar. lex. 1674 unde Pherecrates ap. Phot. p. 541 ὑμεῖς γὰρ ἀεὶ στραγγαλίδας ἐσφίγγετε cf. Plut. de stoic. repugn. 2.

φιαλίς, scutella Luc. Lex. 7.

Deinde secundae flexionis primitiva quae mascula ita deminuta videntur, supra βαθμὶς, βωμὶς, κανθαρὶς, κωρυκὶς, ὀροδαμνὶς, ψωμὶς, κυαθὶς, θρονὶς, βροχίς sunt allata.

Cetera nullum generis discrimen habent, ut ἀμπελίς, viticula, Ar. Ach. 959. cf. Lob. proleg. p. 453.

ἀρριχίς, corbicula, in lexicis omissum, legitur ap. Ath. IV 139ᵉ ab ἡ ἄρριχος ortum, quo Attici quidem usi fuisse traduntur. cf. Bekk. An. 446.

δοκίς, virgula, cf. Papii lex.

νησίς, de cuius ultimae syllabae productione v. Draco p. 23, 4 qui et idem 47, 20 eandem esse affirmat brevem, unde non usque quaque

aequalis tenor servatur cf. Herod. VIII 76. Plut. Luc. 24. Diod. Sic. V 36. Atticorum creber est usus. Thuc. VIII 14 etc.

πλινθίς citeriorum fuisse scriptorum dicit Papius in lex. cuius locis citatis adde Callixenum Rhodium ap. Ath. V 206 e.

προχοΐς plerumque vocatum deminutivum semel ap. Xen. Cyr. 8, 8, 10 invenitur, ubi *matula* explicatur. cf. Bornem. ad h. l. Ath. XI 496e. in Bekk. An. 294 προχοΐς ἐπίχυσις καλουμένη videtur de poculo, quo salus propinatur, dici.

Tertiae denique declinationis deminutiva in -ις paucis absolvi possunt. de inaequali, si cum eorum primitivis comparantur, nominum πινακίς et κανονίς genere iam supra expositum est. aequalis generis sunt κλιμακίδες, parvulae scalae, de cuius vocis metonymia supra dictum est, in Bekkeri An. 272, 18 αἱ τῶν πλοίων ἀποβάθραι explicatum cf. Poll. V 97, 10, et κυλικίς pyxidicula, quod ab Ath. XI 480e officinae medicae apud Athenienses fuisse dicitur, quocum conferri potest πυξίς Luc. Asin. 14.

Ut iam eorum, quae ante sunt disputata, rationem ineam, rei summa haec fere est: primum nulla fuisse in -ις deminutiva declinata a nominibus animantes, arbores plantasve significantibus, deinde horum deminutivorum generi ea tantummodo convenientia fuisse nomina, quae cum iis hac in re congruerent, denique ultimam eorum syllabam, paucis de quorum natura adhuc certatur exceptis, esse brevem.

VIII.

DE DEMINUTIVIS IN -ΙΔΙΟΝ CADENTIBUS.

Nulla fuisse nomina, quae peculiari deminuerentur terminatione -διον, docuit Lobeckius Pathol. I p. 463. ex vocum igitur radicibus duo huius rei genera discludenda sunt: unum quorum primitivorum radices in vocales, alterum quae cadunt in consonantes. itaque ut in priore parte vocalium quot existere possint complexiones dinumerabimus, ita in altera ex flexionum, quas horum primitiva sequuntur, ordine eo qui nostris quidem grammaticis probatur, recensebuntur nomina.

§ 1.

DE VOCALIUM QUAE TERMINATIONE -ΙΔΙΟΝ FIUNT COMPLEXIONIBUS.

Hoc in genere primum commemoranda est terminatio -αδιον quam sunt qui ad peculiarem reducant hypocorismum referentes exempla: βαθράδιον, ψηττάδιον, δειράδιον, σημάδιον, γλυκάδιον, πιλάδιον, κρεκάδια, a quibus prorsus distant citeriorum Graecorum figmenta: τυχάδιον, ὀσφράδιον, δειράδιον, φωκάδιον cf. Lob. ad Phryn. 74, quae ipsa diversa sunt a κρεάδιον, ἐλάδιον, προσκεφαλάδιον quae proprie pertinent ad hypocorismum, de quo hic agitur, in -ιδιον flexum. iam igitur de illis accuratius exponam.

Voculam βατράδιον, quod deminutivum vocis βάθρα dicitur, Aristophanis usu (cf. Poll. X 74) conspicuam sine ulla dubitatione in comici

fragmenta recepit Dindorfius. hoc — nisi technicus ille nomen βάθρα per vocabulum sua aetate magis tritum explanare voluit — analogiae grammaticae omnino repugnare unicuique his disciplinis etiam leviter imbuto videbitur. nemo enim non exspectarit aut βαθρίδιον, aut quod formae propius accedit, βαθράριον. erunt fortasse qui βαθράριον, si fuerit Aristophanis, propter duplicem sese excipientem litteram caninam ei displicuisse ideoque illud ρ in δ mutatum fuisse arbitrentur, quae quidem fuisse fertur causa, quare κοράσιον diceretur pro κοράριον[43]) cf. Lob. ad Phryn. p. 74. mendum vero quo inquinatum est ψηττάδιον, iam diu sublatum est a Lobeckio l. c. ψηττάριον emendante. hanc emendationem recipiens Meinekius ad Menandri frgm. p. 181 atque ap. Ath. III 105f Anaxandridis versus in ordinem cogere conatus grave reliquit vitium. cf. infra. tum σειράδιον, pro quo minus σειράριον corrigatur, primitivum obstat σειράς, cuius loco illud apud posteriores Graecos in usum venit cf. Eust. ad Od. 1923, 35. sic usu venit, ut δειράδιον pro δειράς apud citeriores Graecos usurpari coeptum sit. citatum modo illud est a Polluce II 135, qui tamen locus non omni corruptionis suspicione vacuus est. alia omnino est ratio voculae σημάδιον, quod ne σημάριον emendetur, vetat usus, quo nulla in -αριον oriuntur deminutiva a verbalibus in -μα.[44]) prava potius elocutionis consuetudine factum esse, ut ita pro σημάτιον pronuntiaretur, testatur Eustath. ad Il. 1675, 45.

Porro-κρεκάδια tapetes cf. not. ad Ar. Vesp. 1215 vocabulum istic controversum quamvis allatum illud ab Athen. V 179b. dissimilia vero sunt χειμάδιον, χερμάδιον, quae natura sua adiectiva esse supra p. 195 demonstravimus. apertior videtur esse origo vocis γλυκάδιον, siquidem verum est quod disputat Orus sive Orion in E. M. 626, 60: — καὶ μάχαιραν ὀξεῖαν, τὴν ἠκονημένην· οἱ δὲ Κυρηναῖοι τὸ ὄξος ἦδός φασι, καὶ ἄλλοι γλυκάδιον. quis enim non videt, huius voculae terminationem ortam esse a dorico ἆδος? cf. Barke ad Arcad. p. 248. schol. Nicandri Th. 595. denique πιλάδιον, quod in lexicis vulgaribus frustra quaeritur, corruptum fortasse ex πιλάριον, incertissima nititur lectione apud Poll. X 158.

Hinc igitur efficitur deminutiva in -αδιον, quorum terminatio magis speciosa est quam vera, referenda esse ad nomina quae in -ιδιον flectuntur, cuius generis sunt γράδιον, κρεάδιον, ἐλάδιον, σπηλάδιον comoediae et vetustiori et mediae probata, posterioris autem temporis κεφαλάδιον, προσκεφαλάδιον, quibus ob similitudinem addendum est ναΐδιον διαιρετικῶς scriptum ap. Polybium et Strabonem.

Voculam γρᾴδιον non a γραῖς sed a γραῦς repetendam esse, tertiae ab extrema syllabae longitudine probatur. minus ergo accurate Eustathius ad Od. 1410, 4: — ἧς (γραῦς) εὐθεῖα γραῦς ὡς ναῦς καὶ γρηῦς ὡς νηῦς, ἐξ ὧν τὸ νηῒ καὶ γρηῒ ἀλλὰ καὶ γρῆΐς·[45]) ἔτι δὲ καὶ γραῖς, ὅθεν τὸ γραΐδιον ὑποκοριστικῶς· καὶ συνῃρημένως γρᾴδιον· οἷον

43) hoc minus rectum esse ex voculae κοράριον tertiae syllabae correptione apparet cf. infra. 44) cf. infra. 45) haec forma exemplis quidem probari nequit.

μετὰ γρᾳδίου βαρβάρου διατελῶν. confuse disputatur de eo in E. M. 239, 34 ubi e diverso scribendi modo aut γρᾴδιον adscripta muta vocali aut sine ea ad vocem γραῖα per syncopen formatum revocatur. ceterum longam esse huius deminutivi syllabam tertiam ex Aristophanis liquet anapaesto Plut. 536 καὶ παιδαρίων ὑποπεινώντων καὶ γρᾳδίων κολοσυρτόν.

Ultima verba citata inveniuntur in E. M. l. c. in iambico vero rhythmo dominatur Attica magis forma γρᾴδιον (cf. Brunck. ad Ar. Thesm. 1200) quamvis in Invernizzii editione plerumque id διαιρετικῶς scriptum inveniatur, qua re metrum nonnunquam corrumpitur, ut Plut. 106 ὡς εὐτόνως, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ γρᾳΐδιον cf. ibid. 674. Eccl. 986. eundem sibi Atticismum, si hodie viverent, postularent Xen. An. VI 3, 18. Demosth. pro cor. 313 sub fin. cf. Lob. ad Phryn. p. 88.

Difficilior est quaestio de vocula κρεάδιον, cuius primitivi vocalis α corripitur. hoc Meinekius ad Menandri frgm. p. 180 dubitat an nusquam vocali α brevi inveniatur. versus vero Alexidis quem affert Ath. VII 326[e], ubi α brevis offendit, corruptus est: κρεάδι', ἐντερίδι'. ἀλλὰ τὰς μὲν τευθίδας. pro ἐντερίδι', quod nihili est, corrigendum videtur ἔντερ', ut hic versus fiat iambicus: κρεάδι', ἔντερ'. ἀλλὰ τὰς μὲν τευθίδας. itaque cum certum sit, vocalem, cui per hanc deminutionem proprie ι adscribi oportebat, esse brevem, accidit, ut deminutivum κρεάδιον ob vocalis ι iacturam produceretur. pariter vocalis υ, quae in primitivo corripitur, in dem. ἰχθύδιον producta est. ad usum denique quod attinet, huc pertinet Antiatticistae Bekk. An. 133, 12 observatio: κρεάδιον, οὔ φασι δεῖν λέγειν τὸ ὑποκοριστικόν. sed non solum Aristophanes (Plut. 227) eo usus est, verum etiam Xenophon Cyr. 1, 4, 13, nisi forte ille monere volebat grammaticus, ne in primitivi vim ac potestatem, uti multa id temporis deminutiva primitivorum instar usurpabantur, acciperetur. atque apud Xenophontem cum contemtu positum est, etsi Pollux VI 3, 3 observat: ἀπὸ δὲ κρεῶν ἢ ὡς Ξενοφῶν κρεαδίων. at recentiores scriptores id dem. sine deminutionis vi posuisse videntur: Ael. de H. A. II 47 τῶν μὲν ἐξ ἀγορᾶς ἐμπολη θέντων κρεαδίων, ἐὰν γένωνται (ἰκτῖνοι) κρείττους ἥρπασαν προσπεσόντες. similiter Carystius ap. Ath. IV 122[e] — ὅτε μὲν οὖν ἀκούσειαν λάχανον ἢ τάριχος, ἐνεχώρουν· ὅτε δ' ὅτι κρεάδιον, εἰσῄεσαν εἰς τὸν ἐπὶ τοῦτο παρεσκευασμένον οἶκον cf. Phylarch. ap. eund. IV 122[e]. postremo ἐλάδιον et σπηλάδιον comoediae mediae fuerunt, ut Sotad. ap. Ath. VII 293[b]. cf. Machon XIII 582. Archestr. VII 292[f], quem locum respiciens Eustathius 152, 32: ὅτι δὲ, inquit, σπηλαίου καὶ προσκεφαλαίου καὶ τυχαίου ὑποκοριστικὰ σπηλάδιον, προσκεφαλάδιον, τυχάδιον, οὕτω καὶ ἐλαίου ἐλάδιον, δηλοῦσιν οἱ τεχνικοί. κεῖται οὖν παρὰ τῷ Δειπνοσοφιστῇ, ἐλαδίου κοτύλη.

Tum σπηλάδιον Theopompi fuit ἐν Πανταλέοντι sec. Poll. IX 16. atque grata videtur fuisse posterioribus Graecis huiusmodi nominum deminutio. prostant enim in E. M. aliquot et apud Eust., qui praeter illa e. c. τυχάδιον laudat, et in E. M. 172, 25 κεφαλάδιον, οὐράδιον.

cf. Eust. 1552, 31 ubi προσκεφαλάδιον est. ἀναβολάδιον ap. Steph. in thes. sine auctoritate.

Rationem vero, qua sint formata eiusmodi deminutiva, probare videtur grammaticus quidam in E. M. 700, 48: — τὰ γὰρ διὰ τοῦ -διον[46]) ἀπὸ πρωτοτύπου φωνῆεν ἔχοντα τὸ α οὐ τρέπεται, εἰς κεφάλαιον (adde κεφαλάδιον) καὶ ἐλάδιον καὶ σπηλάδιον καὶ οὐ λέγεται κεφαλήδιον καὶ σπηλήδιον (scr. κεφαλίδιον, σπηλίδιον) cf. id. 240, 3 — τότε δὲ διὰ τὸ -διον γίνεται ἡ παραγωγὴ καὶ ἀποβάλλεται τῆς αι διφθόγγου τὸ ι· οἷον κεφάλαιον κεφαλαίου κεφαλάδιον, σπήλαιον σπηλαίου σπηλάδιον.

Haec quidem cur nusquam adscripta vocali ι inveniantur, in caussam ubi inquiritur, hoc ideo factum esse existimo, quod primitivorum fere significationem apud recentiores potissimum Graecos receperint. contra nititur ναΐδιον, quod si Atticum foret, ᾴδιον aut, ut καλῴδιον, λαγῴδιον audiret νεῴδιον. at Polybio VI 234 condonemus ναΐδια et Straboni t. III p. 266 ed. Tzsch. ναΐδιον.

Ceterum a vocibus in η oriuntur deminutiva quae cadunt in -ιδιον. unum γήδιον videtur obniti, cuius tamen alia est formationis ratio. dignus est qui conferatur locus Lascaris Gr. Gr. ed. Constant. p. 273: τὰ εἰς -ιδιον ὑποκοριστικὰ τῷ ι παραλήγει. οἷον γνωμίδιον, νησίδιον, ξιφίδιον. σημειοῦται α′ τὰ κατὰ συγκοπὴν γινόμενα, οἷον ἀπὸ τοῦ γραφείου γραφεῖδιον καὶ συγκοπῇ γραφείδιον. β′ τὰ κατὰ συναίρεσιν διφθογγογραφούμενα, οἷον ἀπὸ λέξις λεξεΐδιον καὶ συναιρέσει λεξείδιον καὶ ἀπὸ βοῦς βοός βοΐδιον καὶ συναιρέσει βοίδιον. γ′ τὰ ἀπὸ τῶν εἰς η ὀξυτόνων ἢ περισπωμένων φυλάττοντα τὸ η τοῦ πρωτοτύπου· οἷον πηγήδιον, κριθήδιον. at quae de oxytonis praecipit, tali grammatico indigna sunt. neque enim quisquam vetustorum Graecorum dixit πηγήδιον sive πυγήδιον, sed ut Aristophanes πυγίδιον et ita Lucianus κριθίδιον pariter atque ἀρχίδιον. fefellisse videtur illum grammaticum falsa analogia deminutivi γήδιον, quod expertum est syncopen. haud inepte quaerit nescio quis in E. M. cum tria sint primitiva γῆ, γαῖα, γέα unde tandem profectum sit γήδιον —: λέγει δὲ inquit ὁ Δίδυμος, ὅτι ἐστὶ γέα διὰ τοῦ ε. καὶ ἐπειδή, ἡνίκα ἡ τελευταία συλλαβὴ τῆς γενικῆς τοῦ πρωτοτύπου ἀπὸ φωνήεντος ἄρχεται καὶ παραλήγει τῷ ε ἢ τῷ α, τότε γίνεται δια -διον παραγωγὴ καὶ προσέρχεται κατὰ τὴν παραλήγουσαν τὸ ι. οἷον πρᾶξις πραξείδιον, λέξις λεξείδιον, βοῦς βοός βοΐδιον, νοῦς νοός νοΐδιον. οὕτως οὖν καὶ γέα γέας γείδιον διὰ τῆς -ει διφθόγγου· καὶ κατ' ἔκτασιν Ἀττικὴν τοῦ ει εἰς η γήδιον διὰ τοῦ η καὶ ι, ὥσπερ εἰκάζω ᾔκαζον· καὶ εἴδειν ᾔδειν. quae sane per se dissimilis caussa nemini probabitur. fueritne vero παράδοσις vocalem mutam ι illi voculae adscribere non satis liquet. Lascaris quidem p. 330 γήδιον ὅτι γηΐδιον. contra Apollonius de adverbiis ap. Bekk. An. II 568, 12 per occasionem id dem. afferens praestat γήδιον sine ι: καὶ τὸ γήδιον ὑποκοριζόμενον ἐφύλαξε τὸ η τοῦ γῆ, τοῦ τέλους τῶν τοιούτων

46) haec nulla est terminatio deminutiva cf. p. 228.

γενικῶν εἰς -ιδιον μεταλαμβανομένου, κυνός κυνίδιον, ἄρτου ἀρτίδιον· λέγω τῶν μετὰ συμφώνου ἐκφερομένων. huius voculae usus apud Atticos creber est. Ar. Pac. 573 ἦ καλῶς αὐτῶν ἀπαλλάξειεν ἂν μετόρχιον | ὥστ' ἔγωγ' ἤδη 'πιθυμῶ καὐτὸς ἐλθεῖν εἰς ἀγρὸν | καὶ τριαινοῦν τῇ δικέλλῃ διὰ χρόνου τὸ γήδιον. ubi schol. dixit: ἀντὶ τοῦ γῆν, ὑποκοριστικῶς. at vix potest definiri, quem deminutivi usu sensum exprimere voluerit comicus, cum alia quidem sint apta, alia aptiora. posterioris autem aetatis scriptores id dem. ita posuisse, ut omnem deminutionis vim deposuisse videatur, non est mirum, ut Ael. H. A. III 12 ed. Iac. ὑποκρύπτει δὲ (lepus) ἑαυτὸν ἢ θάμνῳ κοιμῶντι ἢ γηδίῳ δασεῖ.

Atque in hanc primitivi potestatem accipiendum est illud δίκαιον γήδιον, iustissima tellus Virgilii, ap. Menandrum p. 36 ubi cf. Mein. qui Xenophontis quoque huc spectantis locum Cyr. VIII 3, 15 componere non omisit. cum hoc deminutivo nemo erit qui λήδιον, ληδάριον conferat, quippe quae sint orta a λῆδος. cf. p. 202.

Iam pergimus ad deminutiva in -ιδιον, quae tertiam ab extrema syllabam tenent productam. huius vocalis longitudo effecta est duarum vocalium, unius quae est radicis, alterius quae terminationis, synaeresi, ita ut eorum primitiva vel in -ια, -ιας vel in -ιος et in -ιον desinant. haec autem productionis caussa non cadit in πορνίδιον, quod qui a πορνίον ortum existimant, non recte faciunt. longa vocali idem dem. legitur semel ap. Ar. Ran. 1338 οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων. quem versum corruptum putat Dawes. Misc. p. 213. nam que tertia, ut par est, brevi idem invenitur ap. eundem poëtam Nub. 995. at Ἑρμίδιον cur producatur tertia, caussa in aperta est, ut apud Ar. Pac. 382 μὴ νῦν λακήσῃς, λίσσομαί σ' ὦ 'ρμίδιον et ib. 924 χύτραισιν, ὥσπερ μεμφόμενον Ἑρμίδιον. excusatur enim haec longitudo, quod Ἑρμῆς sive Ἑρμείας proprie in vocalem exit, ut haud sciam an potius sit pronuntiandum Ἑρμείδιον, ad quam argumentationem ducit dittographia ap. Lucianum Char. p. 490 ubi Hemsterhusius quidem scribendum curavit Ἑρμίδιον, sed priores editiones exhibebant Ἑρμήδιον, margo vitiose Ἑρμάδιον.

In his vero deminutivis quam ob rem tertia producatur ratio non est in promptu: γλαυκίδιον, σκαλμίδιον, δακτυλίδιον, quibus ut ἐγχειρίδιον apponerem auctor fuit Meinekius ad Menandri fr. p. 560.

Ac primum quidem γλαυκινίδιον ex lectionum varietate scripsit ap. Athen. VII 295[f] Meinekius: ἔχειν καθαρείως ἐγχελύδιόν τι καὶ γλαυκινιδίου κεφάλαια καὶ λαβρακίου | τεμάχια. nam Antiphanes ap. Athen. XIV 662[b] οὐκοῦν τὸ μὲν γλαυκίδιον ὥσπερ ἄλλοτε e lege ι corripuit. sed alterum σκαλμίδιον hunc locum debet eidem Meinekio, qui ad Men. p. 169 afferens ex Suida III 325 Aristophanis versum: ἀσπαζόμεσθ' ἐρετμὰ καὶ σκαλμίδα ita emendat: ἀσπαζόμεσθ' ἐρέτμια καὶ σκαλμίδια, qua emendatione nihil incertius. nam praeterquam quod deminutivi ἐρέτμια usus nulla auctoritate suffulcitur, nominis σκαλμίδιον vocalis tertiae longitudo ut explanetur, opus est regredi ad σκαλμίον, quod et idem omni auctoritate desti-

tutum est. huc accedit quod ab his tantum, quae seu deminutiva seu aliter derivata certam adepta sunt significationem, ut a βιβλίον, βιβλίδιον, a δικαστήριον δικαστηρίδιον, huius modi deminutio oritur. certissima vero est δακτυλίδιον auctoritas. nam δακτυλίδιον, *digitulum* significans, non a δακτύλιος, quo tertiae syll. longitudo excusari potest, sed a δάκτυλος repetendum est cf. Buttm. Gr. gr. II 331 not. a veteribus quidem glossographis fere commemoratur δακτυλίδιον iuxta δακτύλιος, quasi illud significaret *anulum*, ut Pollux VII 197: δακτύλιος, δακτυλίδιον, idem V 200: τὰ ἐν τοῖς δακτύλοις, δακτύλιον (quartus est casus vocis δακτύλιος) δακτυλίδιον, σφραγίδιον, σφραγῖδας· οὕτω γὰρ τοὺς ἐπισήμους δακτύλους ὠνόμαζον τοὺς τὰ σήμαντρα ἢ λίθους ἐν αὐτοῖς ἔχοντας.

Tum in mundo muliebri etiam anuli ponuntur ab eodem II 165: καὶ δακτυλίδια, τὰ γυναικεῖα, ita ut in primitivi fere vim abiisse videatur apud recentiores Graecos[47]), unde fortasse illud ap. Bekk. an. 1, 88, 26 antiatticistae praeceptum: δακτυλίδιον· οὐ δεῖν φασιν ὑποκορίζεσθαι, οὐδ᾿ ἂν μικρὸν ᾖ.

Aristophanis, quem Buttm. l. c. attulit, locus est Lys. 417: τὸ δακτυλίδιον πιέζει τὸ ζυγόν. quem versum qui tentarent non defuerunt, ut Hottibius et Porsonus qui ap. Kidd. ad Daw. Misc. crit. p. 384 sic corrigere volebant: τὸ δακτυλίδιον τοῦ ποδὸς —. consilio vero omisimus Βοιωτίδιον, quod si a Βοιώτιος repetatur, satis habet, quo defendatur tertiae syll. productio. etenim comicus ipse eadem fab. Ach. 964 dixit: αἶρου λαβὼν τὸν κέραμον, ὦ Βοιώτιε. illud tertia longa Ach. 880 legitur: ὦ χαῖρε κολλικοφάγε Βοιωτίδιον. ergo δημακίδιον tertia brevi non a δημάκιον, ut Casaubonus fecit ad Ar. Eq. 1833, sed a δῆμαξ ducendum est. cf. Mein. ad Men. p. 161.

Illius autem productionis ratio non quadrat in ἐγχειρίδιον, cuius tertiam syllabam brevem esse oportet, ut apud Men. p. 30 ed. Mein. ἐγχειρίδιον ἔχοντας αὐτοῖς προσιέναι. qui tamen idem in versu quem Pollux X 145 affert: καὶ χρυσόλαβες καλὸν πάνυ ἐγχειρίδιον tertiam haud probabili caussa produxit. id enim vocabulum eandem fere prae se fert speciem, quam προμετωπίδιον Xenophontis, παραμηρίδια, παραπλευρίδια, προστερνίδια eiusdem scriptoris, quae cuncta a Fischero ad Welleri gr. t. II p. 27 minus recte in demiuutivis ponuntur: cf. supra.

Pariter παραγναθίδιον τὸ νῦν χαλινάριον καλούμενον schol. ad Il. IV 142, προσθητίδια ap. Polyb. XII 20, 6. ἀμβλωτρίδιον Bekk. an. 388, 32. παραζωνίδια Posidon. Stoicus ap. Ath. IV 176[b]. ἐντοσθίδια Athen. IX 381, προχειλίδιον ap. Pollucem. ἐγκλαστρίδια inaurium genus ap. eund. V 97. hinc faciunt etiam vestimentorum genera διπλοίδιον, ἡμιδιπλοίδιον ap. Ar. Eccl. 318 cf. Poll. VII 79. Ταραντινίδιον a Tarentinis sic nominatum ap. Luc. in libro: non tem. cred. 16 cf. Dial. mer. 7. Poll. VII 70. ita ἐγχειρίδιον ab adiectivi notione profectum est. nam si esset deminutivum, quomodo, quaeso, sonabat eius primitivum? ab hac formatione non abhorrent ἐρωτίδια, festum

47) cf. Luc. ep. Sat. 29 ubi tamen dittographia est δακτυλίῳ.

Amoris Thespiensibus celebratum, unde a Plutarcho ἐρωτικά vocatur. cf. Ath. XIII 561ᵉ et Herodoteum ὑποκρητηρίδιον I 25 quod minime est deminutivum. nam adiectivum ἐπικρατηρίδιος citavit Pollux X 103. eandem adiectivi speciem habet θνησείδιον recentioribus Graecis usurpatum, neque est necesse vocula καπυρίδια a καπύρια repetatur, sed adiectivum est: cf. Eust. 1087, 63 a quo ad verbum κάειν et πῦρ refertur. interdum vero dubium est num adiectivum sit nomen an deminutivum, ut μητρίδιον ap. Ar. Lys. 549 ἀλλ' ὦ τηθῶν ἀνδρειοτάτη[48]) καὶ μητριδίων | ἀκαληφῶν χωρεῖτ' ὀργῇ. quod recte pro adiectivo habet scholiastes, quem alii secuntur contra Brunckium, cui deminutivum videbatur.

Ut igitur redeamus eo, unde digressi sumus, tertia nominis ἐγχειρίδιον syllaba ἀναλόγως corripienda fuit, nec nobis tam manifesta est quam Meinekio l. c. cur producatur caussa. pariter eadem vocalis brevis est in ψυκτηρίδιον, quo Alexis usus est apud Ath. XI 502ᶠ: ψυκτηρίδιον δὲ δύ' ὀβολούς, Φιλιππίδου, et in ξυστηρίδιον si in versu legeretur cf. B. An. 51, 9, nisi forte ambo adiectiva sunt. minus vero apertum quomodo metiamur tertiam vocabuli ποτηρίδιον, quod in versu semel indiscretum invenitur ap. Athen. XI 484ᶜ quo loco deipnosophista de vasis poculisque agens versum ex Menandri Ἁλιεῦσιν profert a Bentleio in tetrametri trochaici formam ita redactum: ἔνδον ἔστ', ἄνδρες, ποτηρίδιά τε καὶ τορεύματα. 'tertio versu, inquit Meinekius ad Men. p. 13, dubito utrum Bentleii praeferam rationem, an Iacobsii addit. Ath. 261: ποτήρι' ἰνδικά τε τορεύματα.' itaque in iis vocibus quarum ratio manifestior est deminutionis, vocalis ι cur producatur, in duarum vocalium contractione caussa versatur. atque primae declinationis in -ια et -ιας sunt καλίδιον, οἰκίδιον, σηπίδιον, οὐσίδιον, Ξανθίδιον, quibus ob analogiam addenda sunt γωνίδιον, κοιλίδιον, ταινίδιον.

Primum καλίδιον, tertia longa, Eupolis ap. Poll. X 161 οἰκοῦσι δ' ἐνθάδ' ἐν τρισὶν καλιδίοις | οἴκημ' ἔχων ἕκαστος. deinde οἰκίδιον Ar. Nubb. 93 ὁρᾷς τὸ θύριον τοῦτο καὶ τῳκίδιον. quem ad versum fortasse respexit Eust. ad Il. 482, 31 idque frequenti Atticorum usu nobilitatum est, ut Plat. Ἐρυξ. 394ᵉ. Dem. κατ' Εὐβουλ. 1319. κατὰ Νεαιρ. 1358. Lys. or. I ὑπ. Ἐρατ. φον. 9, 2. Is. π. Δικαιογ. κλ. 53, 3. posteriorum Ael. v. h. 17. cf. Poll. IV 39.

Eandem sequitur analogiam σηπίδιον non modo Aristophani (cf. Ath. III 104. VII 324ᵇ) sed etiam aliis comicis usurpatum, Ephippo ap. Ath. II 65ᵈ. VIII 359ᵇ. IX 370ᵈ. Alexidi ib. VII 305. facilis est huius versus emendatio ap. Ath. VII 311ᵇ, ubi Eubulus ἐν Τιτθαῖς citatur ὁσίας ἕνεκα σηπίδι' ἢ τευτίδια. tertia enim deni. τευτίδια brevis est. certa nobis videtur emendatio, si pro ἢ, quod saepius ex καὶ corruperunt librarii, ea particula restituta ita scribitur: ὁσίας ἕνεκα τευτίδια καὶ σηπίδια. sic Aristoph ἐν Δαναΐσιν versus a Polluce II 46 affertur, ubi est ὀσμύλια[49]) καὶ μαινίδια καὶ σηπίδια. notandum saltem est apud Aristotelem, ut H. A. V 16, 3, codicem Med. constanter σηπύδιον habere pro σηπίδιον cf. Hipp. I 652 Kühn.

48) ita legi visum est Reisigio coni. Ar. I 237 pro ἀνδρεωτάτων secuto Suidam, Athenaeum, Eustathium. 49) sic corrigendum est pro ὀσμυλίδια, cf. infra.

Tum οὐcίδιον ap. Ath. II 58[a], ubi Nicomachi v. propositus est: οὐcίδιον γὰρ καταλιπόντος μοι πατρός. quemadmodum correxit Meinekius ad Men. p. 204 pro οὐcείδιον — τοῦ πατρός.

Hinc patet deminutivorum γωνίδιον, κοιλίδιον, ταινίδιον tertiam ab extrema syllabam produci: γωνίδιον reperitur ap. Luc. Necr. 7 et M. Anton. comm. III 10. IV 3. κοιλίδιον in E. M. 534, 23. cf. Strab. t. V p. 707 (Tzsch.), ταινίδιον, fasciolae, ap. Hipp. I 398 Foes. tum primitivi aequasse videtur potestatem cf. Poll. VII 65: τὸ δὲ τῶν μαςτῶν τῶν γυναικείων ζῶcμα ταινίαν ὠνόμαζον ἢ ταινίδιον. unde et vitta mulierum. cf. Poll. IV 120 ταινίδιόν τι πορφυροῦν περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχουcιν αἱ μαςτροποί cf. id. IV 151. eiusdem flexionis est nom. prop. Ξανθίδιον, cf. Ar. Ran. 582 tertia syllaba longa, a Ξανθίαc repetendum.

Age vero proponamus reliqua huius generis deminutiva; eorumque prototypa quaedam ipsa sunt deminutiva certa tamen significatione praedita, ut ἀργυρίδιον, quod ab ἀργύριον ortum esse tertiae ab extrema syllabae monstrat longitudo. Ar. Plut. 147: ἔγωγέ τοι διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον. cf. ib. 240. Av. 1629. Lys. 1051. id. ap. Poll. IX 90. Eupol. in Bekk. An. 442, 8 ubi peculiari huius vocabuli usus grammatici tempore exponitur: ἀργυρίδιον, ὡc ἡμεῖc, Εὔπολις Δήμοις· ἐγὼ δὲ cυμψήcας — ἀργυρίδιον. atque haud scio an huc pertineat auctoris λέξεων ῥητορικῶν s. v. παρακατάcταcιc observatio: ἀργυρίδιον, dicentis, ἐςτὶν ἐν μιᾷ δραχμῇ καταβαλλόμενον ἐν τοῖc διαιτηταῖc. sic cum contemptu positum legitur apud Isocr. contra soph. 291, 4 (Bkk.) καὶ λέγουcι (sophistae) μὲν ὡc οὐδὲν δέονται χρημάτων, ἀργυρίδιον καὶ χρυcίδιον πλοῦτον ἀποκαλοῦντες, μικροῦ δὲ κέρδους ὀρεγόμενοι μόνον οὐκ ἀγαθοὺc ὑπιcχνοῦνται τοὺc cυνόντας ποιήcειν.

Eandem analogiam num excipiat χρυcίδιον dubium est. poëtarum enim quos legimus nemo mihi exemplum praebuit. a deminutivo ἱμάτιον nascitur ἱματίδιον, tertia ἀναλόγωc producta, cf. Ar. Plut. 985. Lys. 401. 474, eodemque usum fuisse Lysiam testatur Poll. VII 22. voculam ἱματιδάριον ex Ar. Βαβυλωνίοις affert Aristoteles de rhet. II 2.

Tum βιβλίδιον in E. M. 605, 8. 239, 53 ad βιβλίον prim. referendum tertiam ab extrema producit syllabam. poëtae qui eo usi sunt soli inveniuntur Antiphanes, cuius βιβλιδίου κόλλημα in medium profert Pollux X 201, et Strato in A. P. XII 208. solutae orationis scriptores Dem. in Dionys. 1283. Polyb. XX 2. 6 βιβλίδιον οὐ μέγα. Plut. Brut. 13. Caes. 49. Cic. 65 qui ibidem pro eo βιβλίον usurpavit. atque aucta deminutione Aristophanem usum esse βιβλιδάριον commemorat Poll. VII 210.

Porro λυχνίδιον, quod tertiam corripere minus recte dicit Passovius in lex., eam produci videas licet ex locis Aristophanis, qui servati sunt a Poll. X 118 ὅταν δ' εἴπῃ ἐν τῷ Αἰολοcίκωνι Ἀριστοφάνης «δυοῖν λυχνιδίοιν», δῆλον ὅτι λυχνίας[50]) εἴρηκεν, ἀλλ' οὐ λύχνους

50) sic enim emendandum puto pro eo quod vulgatum est λύχνια.

μικρούς — σαφέστερον δὲ ἐν τοῖς Ἀριστοφάνους Δράμασιν ἢ Νιόβῃ — — — ἀλλ' ὥσπερ λύχνους | ὁμοιότατα καθεύδετ' ἐπὶ λυχνιδίου. vulgatum κάθευδ' correxit Dindorfius ex Ath. XV 1561. verum ἡ λυχνία eadem significatione qua λυχνοῦχος citerioris aetatis Graecis usurpatum fuisse ostendit Lobeck. ad Phryn. p. 313. *parvulae* ergo *laternae* sive *laternulae* est significatio, quam confirmat Steph. in thes. Gr. L. s. v. afferens Lucian. Tim. 14 fin. πρὸς ἀμαυρόν τι καὶ μικρόστομον λυχνίδιον καὶ διψαλέον θρυαλλίδιον ἐπιγρυπνεῖν ἐάσας τοῖς τόκοις. cf. Plut. Demetr. 20 Ἀέροπος δ' ὁ Μακεδὼν τραπέζια μικρὰ καὶ λυχνίδια τεκταινόμενος, ὁπότε σχολάζοι, διῆγεν.

Eadem productionis ratio cernitur in δικαστηρίδιον et βαλαντίδιον. illud legitur ap. Ar. Vesp. 835 αὐτῷ δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ, hoc ap. Poll. X 151 Eupolidem ἐν Αἰξὶν afferentem. non minus in iis producitur vocalis ι, quorum primitiva in -ιος exeunt, in iisque sunt κωβίδιον et σκορπίδιον. prius κωβίδιον tertia longa posuit Sotades ap. Ath. VII 293[d] κωβίδι' ἅττα καὶ πέτραια δή τινα | ἰχθύδια. vitiose igitur disposuit Mein. ad Menandr. p. 181 Anaxandridis versus qui ibi citantur p. 105[f] καὶ συμπαίζει καριδαρίοις | μετὰ περδικίων καὶ θραττιδίων | καὶ ψητταρίοις μετὰ κωδαρίων, | καὶ σκινδαρίοις μετὰ κωβιδίων, neque Schweighaeuser in tetrametros digerens hos versus aegram versus partem sanavit. varietas lectionum praebet pro μετὰ κωβιδίων, μ. κωβιδαρίων. namque κωβιδίων, cuius tertiam ab extrema syllabam produci oportet, versum anapaesticum claudere nequit. at poeta forsitan ipse hac in vocula vitium admiserit. σκορπίδιον denique, cuius tertiam longam esse oportet, legitur ap. Polyb. VIII 7, 6 ubi Latinorum *scorpio*, h. e. machina quaedam oppugnatoria, deminutive scilicet expressus est.

Ad formam, qua de nunc disputandum est, -ειδιον ducit γραμματείδιον, quod a γραμματίδιον significatione differre haud scio an Orus doceat in E. M. 341. is enim negat γραμματεῖον, quod deminutivi γραμματείδιον primitivum sit, significare μικρὸν βιβλίον sed μικρὰν δέλτον, quae significationis differentia firmari videtur ab hodiernis editoribus Plat. Protag. 326[d] et Antiph. 5, 54, ubi tamen magna codicum pars γραμμάτιον expressum habet. at κοινὸν γραμματεῖον fuisse libellum, in quo Atheniensium qui sui iuris fuissent facti inscribebantur, in vulgus notum est. cf. An. Bekk. 226, 26 et 272, 27. ceterum γραμματίδιον quod non semel cum γραμματείδιον de loco certat, ut Dem. c. Con. 1268[e]. Dionys. 1283. cf. appar. crit. ad h. l. Luc. de merc. cond. 27 cet. originem petiit a γράμμα, non a γραμμάτιον[51]). ad significationem denique quod attinet, dominatur fere in libris sive est libellus sive tabula[52]) γραμματίδιον ἀδιφθόγγως scriptum. ita ap. Plut. Lys. 16 ubi Gylippus pecuniam publicam avertisse traditur: τὰς ῥαφὰς τῶν

---

51) cf. p. 218. 52) sic videtur tabularum fabricator per iocum nominatus fuisse γραμματιδιοποιός qui erat fabulae titulus Apollodori ap. Ath. VII 280[d].

ἀγγείων κάτωθεν ἀναλώςας, καὶ ἀφελὼν συχνὸν ἀργύριον ἐξ ἑκάστου, πάλιν συνέρραψεν, ἀγνοήςας, ὅτι γραμματίδιον ἐνῆν, ἑκάστῳ τὸν ἀριθμὸν cημαῖνον, et idem Brut. 5 quod modo δελτάριον est, mox dicitur γραμματίδιον μικρόν. cf. Plut. Artax. 22.

Neque vero est praetermittenda Harpocrationis observatio 45, 13 docentis: duo fuisse apud Athenienses γραμματιδίων genera, qui aliis usi fuerint ad scribendum, aliis ad argentum recondendum, quae et ipsa κιβώτια vocarentur i. e. arculae seu cistae fisci, unde, ut Maussacus ait, *fiscus* nomen habet. haec vero κιβώτια si dicebantur γραμματεῖδια, significationis discrimen clarius est. haec deminutivi tertiae syllabae mensura quomodo se habuerit, nihil constat, quod eo neminem poetam usum fuisse reperimus. ceterum supra cum ὀπήτειον corruptum esse ex ὀπήτιον latius demonstraverimus, apud Poll. VII 21, 83 pro ὀπητείδια emendandum est ὀπητίδια.

Tertiae autem flexionis nomina in -οc et -ηc ubi terminationem -ιδιον recipiunt, vocalem ε in quam radix desinit, abiicere notum est. ita ξιφίδιον tertia brevi est ap. Ar. Lys. 53 A. μήτε ξιφίδιον· B. κτήcομαι περιβαρίδαc. nihilominus dittographia est ap. Diod. Sic. XII 19 ubi Coisl. Car. offerunt ξιφείδιον, quam lectionem etiam praestat cod. IV Luciani de gymn. 53. alibi ἀδιφθόγγωc legitur ap. Thuc. III 22. Xen. et frequenter ap. recentiores: Diod. S. XI 19. Plut. Aem. Paul. 33. Luc. Somn. 29. Strab. t. II p. 123 (Tzsch.) Dion. Hal. t. II 802 R. cet.

Pariter φυκίδιον ap. Asclep. A. P. V 185 et Cωκρατίδιον Ar. Nub. 224. 743 vocalem ι corripiunt.

Sed nomina in -ευc cum hac forma deminuuntur, vocalem ε radicis retinent, ut ἀμφορείδιον ap. Ar. Eccl. 1164. cf. Poll. X 72, qui illud ex Acharnensibus fabula per errorem citavit. tum βαcιλείδιον, quod sumtum videtur ex Theophrasto a Plut. Ages. 2 — ὡc Θεόφραcτοc ἱcτορεῖ, τὸν Ἀρχίδαμον ἐζημίωcαν οἱ ἔφοροι γήμαντα γυναῖκα μικράν· οὐ γὰρ βαcιλεῖc, ἔφαcαν, ἅμμιν, ἀλλὰ βαcιλείδια γεννάcει.

Dispar vero est ratio deminutivi θυείδιον quod per syncopen formatum est ap. Ar. Plut. 710 cf. Hemsterh. ad Poll. X 103, cuius altera forma, qua de infra dicetur, θυΐδιον a θυΐc est. reliqua in -ειδιον terminata dem. ab Atticorum sermone aliena sunt. ea maximam partem habent primitiva in -ιc tertiae flexionis; pauca sunt per syncopen formata ab iis quae in -ειον exeunt (cf. Lob. proleg. p. 394). prioris generis est πολείδιον, cuius formae ratio exposita est in E. M. s. v. ἀργυρίδιον et ab Eust. ad Il. II 505 Strabonis locum afferente, ubi Tzschuckio (t. III p. 406) πολίδιον exprimi placuit, et t. III p. 74 item πολίδια contra complures codd. πολείδια offerentes cf. t. IV p. 17. ergo ἀναλόγωc dicetur ὀφείδιον, quod dubium an reddatur Aristoteli H. A. 28, 2 (Iac.). certe legitur ap. Strab. t. VI p. 59 τὰ λεπτὰ ὀφείδια. ex Latinorum, qui eam diphthongum in simplicem vocalem ι mutabant, sermone nil potest effici, ut ap. Plin. H. N. 22 cap. ult. ubi *ofidium* piscis est nomen, pariterque *elegidium* ab ἐλεγεῖον ortum. inde δερρείδιον, quod Suidas exponit: cκιάδιον δερμάτινον, non minus retinuit diphthongum quam ὀρχείδιον ap. eundem s. v. ὄρχιc. id herbae nomen fuit, quam comme-

morat Dioscorides III 142, ubi tamen ὀρχιδίοις expressum legitur. at videndum est ne fraudem faciamus Ionico scriptori, cum Choeroboscus in E. M. 560, 13 ita docuerit: λεξείδιον. εἰ μὲν ἀπὸ τῆς λέξις λέξειος (scr. λέξεως) διὰ τῆς ει διφθόγγου· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς λέξιος Ἰωνικῶς διὰ τοῦ ι· ὡς καὶ ἀπὸ ῥήσεως ῥησείδιον· ἀπὸ δὲ τῆς ῥήσιος γενικῆς ῥησίδιον καὶ τὰ ὅμοια. apud Hes. ῥησίδιον ἀδιφθόγγως scriptum explicatur per λεξίδιον. sed ῥησειδίῳ ap. Ath. XI 501ᵃ, πραξείδιον in E. M. 203,9, ἑξείδιον ib. 147, 2, contra ἑξίδιον ib. 347, 54 iuxta ἑξείδιον.

Huc pertinent quoque ταξείδιον a Suida citatum, ἀλυσείδιον ab Hesychio, qui explicans πτερνὶς ita dicit: τὰ πυθμένια τῶν ἰατρικῶν λεκανίδων, ἃ μέχρι νῦν προσδέουσιν ἀλυσειδίοις μακροῖς (al. μικροῖς) ἐν τοῖς ἰατρείοις, ubi ἀλυσιδίοις ἀδιφθόγγως scribere mavult Alberti, medicorum fortasse ionice scribentium morem secutus. ceterum pro παραλεξίδιον quod legitur in Bekk. an. p. 404, 9 ingeniosissime correxit Meinekius: παρ' Ἀλέξιδι: cf. Com. fragm. II p. 722. vide ἀνθράκιον p. 200.

Eam autem deminutionem ab Atticorum usu alienam fuisse intellegitur ex Eust. observatione ad Il. 271, 31 — ἰστέον δὲ ὡς οἴδασι μὲν ἀπόβλησιν οἱ βλῆσιν λέγοντες, ἀφ' ἧς παρ' αὐτοῖς τὸ βλησείδιον. id genus denique est κτησείδιον, ad verbum *possessiuncula*, primitivi iustar recentioribus Graecis usitatum. syncopen experta sunt ἀγγείδιον, in E. M. s. v. perperam ab ἄγγος repetitum, alibi ib. 147, 21 rectius ad ἀγγεῖον refertur, ubi cum γραφείδιον apte comparatur. cf. ibid. 241, 10. tum ταμιείδιον *repositorium* ap. Suidam. at σκαφείδιον in Stephani gr. l. thes. citatum in vulgaribus lexicis nequiquam quaeritur, quod cum *naviculam* significaret, ex σκαφίδιον corruptum est.

Denique ῥοείδιον, quod plerumque a ῥόος repetitur, omni destituitur analogia. scimus quidem nomen ῥοῦς ut νοῦς ἑτεροκλινεῖσθαι (cf. Lob. ad Phryn. p. 434), sed inde nihil nisi ῥοΐδιον sive ῥοίδιον evadere potest, quod est dem. vocis ῥόα vel ῥοιά de quo mox. terminatio namque -οιδιον, ad quam iam progredimur, effecta est primitivorum radice in ο desinente. ea vero ne disiungatur in -οΐδιον, Atticae dictionis vetant magistri (cf. Lob. ad Phryn. 87). apud Ar. invenitur βοΐδιον (Ach. 1049) et βοιδάριον (Av. 585). haec iam diu occupata sunt a summo viro ad Phryn. l. c. aeque νοίδιον ap. Ar. Eq. 100, ubi alter schol. mire observat: παρήγαγεν ἀπὸ τοῦ πληθυντικοῦ νοῖ τὸ νοίδιον ὑποκοριστικόν. cum quo demin. in Bekk. an. 59, 10 apte comparatur προχοΐδιον cf. Eust. ad Od. 1400, 62. formae vero species quae legitur in E. M. 163, 40 προχούδιον grammaticis pariter improbata est atque βούδιον, quo usum esse Hermippum Κέρκωπι s. Κέρκωψι refert Antiatt. Bekk. 85, 29. at Hermippi versus in medio propositus est a schol. Ar. Av. 1414 ubi legitima forma est βοΐδια, veluti ap. Ath. XII 551ᵃ eundem afferentem versum. utrum vero Straboni t. VI p. 582 Tzsch. προχοΐδιον sit reddendum an προχοῖδιον parum liquet. ponitur enim προχοΐδιον a Polluce VI 14 in vasis minoribus, unde Strattis ap. Ath. 273 ἐκ προχοιδίου Mercurii poculum, quod alii hau-

riunt e gutturnio, alii e cadisco, par pari mixtum. poculum vero χοίδιον non alium nacta videtur auctorem quam Suidam, qui id σταμνίον interpretatur.

Tum ῥοίδιον, ubi a ῥοιά derivatur, syncopen expertum est. id τρισυλλάβως pronuntiandum esse docet Eust. ad Il. 1400, 63. pariter Athenaeus XIV 651[a] Menandri αὐτὸν τιμωρούμενον commemorando ῥοίδιον firmat cf. Mein. Men. rel. p. 55. apud Diod. S. IV 35 Schwgh. complures codd. praebent ῥοΐδιον διαιρετικῶς signatum. cf. Lob. ad Phr. p. 87.

Horum agmen claudit στοΐδιον, quod invenitur ap. Strab. t. III 360. in E. M. pro primitivo et στοΐδιον (550, 10) et στῴδιον (p. 486, 21), cf. Lob. path. I p. 463.

Restant igitur duae vocalium complexiones -υιδιον et -ῳδιον.

Ac primum quidem vocalium -υι sequente consonante pronuntiationem Graecorum auribus parum iucundam fuisse, veterum est grammaticorum consensus: cf. Buttm. ampl. gr. § 28 not. 3 et § 119. 112 et Mein. ad Men. p. 160 eam rem cum optativis φθίμην, φύην, δαινῦτο, λελῦτο comparans, sed ille ὑΐδια, *porcelli*, Xenophontis Mem. 1, 2, 23 ab Atticorum dictione abhorrere ratus. neque est quod θυΐδιον in contrarium niti dicatur, quippe quod sit natum ex θυΐς. syncopatum illud θυείδιον supra propositum est. deminutivum igitur πτύδιον ad Atticorum pronuntiationem scriptum legitur in scholiis Ar. Av. 1180. aliter se habet υἱΐδιον, filiolus, ap. Ar. Vesp. 1356 τὸ γὰρ υἱΐδιον τηρεῖ με, κἄστι δύσκολον. quo loco υἵδιον, per syncopen pronuntiandum, quamvis metro nil officiat, ut scribatur non suadeam, praesertim cum illa forma υἱίδιον a schol. l. c. confirmetur. sic quaeritur, utrum sit σύδιον an συΐδιον dicendum. verum συϊδίοις διαιρετικῶς signatum invenitur in proverbio illo, quod commemoratum est in E. M. 349, 28 s. v. ἐξορίσαι — προβατίοις δὲ καὶ συϊδίοις ὁμιλῶν, οὔτ' ἂν τὴν ψυχὴν βελτίων ἐγένετο. item legitur συΐδιον ap. M. Anton. in comm. 10. tum μυίδιον ap. eundem VII 3. cf. E. M. 239, 53. Lob. path. 463. haec autem Atticorum usu sunt celebrata: ἀφύδιον, βοτρύδιον, ἐγχελύδιον, καρύδιον, σμινύδιον, quibus addenda sunt citeriorum scriptorum figmenta: καγχρύδιον, δικτύδιον, σικύδιον et inexplicabile illud δορύδιον.

Meinekius ad Men. rel. p. 160: 'ἰχθύδιον, inquit, ubique, si Archestrati Ath. 311[e] excipias, secundam syllabam produxit. in Aristophanis Νήσοις male Brunck. p. 257 ad Dawesii normam ἰχθυΐδιον. compares ἐγχελύδιον Amphidis ap. Ath. 295[b]. ἀμφύδιον Aristophanis ibid. p. 285[e] ubi fallitur Schwgh. βοτρύδιον Alexidis p. 516.' his adde καρύδιον Philyllii ap. Ath. 641[a]. inde oportet σμινύδιον tertiam ab extrema syllabam producere, quam brevem male denotavit Passovius in lex. eo usum fuisse Aristophanem ait Pollux VII 148. deinde καγχρύδιον, pallea hordacea, Aristot. probl. 20, 8, cf. Hes., et σικύδιον, parvulus cucumis, vel a σικυός vel a σικυά ortum, quod Phrynichi comici fuisse observat Ath. III p. 73[e]. tum δικτύδιον iuxta δίκτυον affert Pollux VII 179. at

δορύδιον[53]) faciens contra analogiam, qua aut δορατίδιον aut δορίδιον a breviore genitivo δορός profectum formari debebat, vilissimae est auctoritatis. usū vero factum est, ut quemadmodum in κρεάδιον, sic in ἰχθύδιον et quae ei sunt similia, vocali ι abiecta, tertia ab extrema syllaba produceretur, idque eo magis est memorabile, quod vocalis in quam primitivorum radix desinit, natura corripitur.

Postremo in medium hic proferenda sunt quae terminantur in -ῳδιον deminutiva. his vocalem ι adscribi num iubeat παράδοσις, ubi quaerimus, omnem dubitationem tollit grammaticus quidam in E. M. 486, 15 cum docet: καλῴδιον, τὸ σχοινίον, σὺν τῷ ι γράφεται· καὶ ὤφειλεν εἶναι καλίδιον[54]), ἐπειδὴ ἡ τελευταία συλλαβὴ τῆς γενικῆς τοῦ πρωτοτύπου ἀπὸ συμφώνου ἄρχεται, οἷον κάλος, κάλου· τότε γὰρ διὰ τοῦ ιδιον γίνεται ἡ παραγωγή. οἷον γνώμη γνωμίδιον· ἀλλὰ συνηκολούθηκε τῷ λαγῴδιον, στῴδιον· σημαίνει τὴν στοάν. alio vero loco p. 550, 8 mire observatur: deminutiva κῴδιον et στῴδιον εὐλόγως habere τὸ ι, sed λαγῴδιον παραλόγως, aptius p. 413, 4: nomini ζῴδιον ideo vocalem ι adscribendam esse, quod apud Aratum (Phaen. 543) κατὰ διάστασιν inveniatur: ζωΐδιον δέ ἑ κύκλον ἐπίκλησιν καλέουσιν — ἡ ἐπειδή ἐστι ζῷον ζῴου ὅπερ ἔχει προσγεγραμμένον τὸ ι. καὶ ἐπειδὴ ἡ τελευταία συλλαβὴ τῆς γενικῆς ἀπὸ φωνήεντος ἄρχεται, γίνεται ζωΐδιον, ὡς εἴρηται, τοῦ ι ἀπὸ τοῦ πρωτοτύπου ὄντος. nihilominus tamen in nostris quidem libris omissa fere invenitur haec muta vocalis, quamquam, veluti alibi iam animadversum est, libri editi huius rei momentum facere vix possunt. ad usum autem quod attinet, ζῴδιον vel ζῴδια cum significat signiferum ignem, etiam ζῷα dictum fuisse adnotavit Pollux IV 158, cum diceret: τὰ ἐν τῷ κύκλῳ ἃ οἱ πολλοὶ ζῴδια καλοῦσιν, ubi, si οἱ πολλοὶ[55]) sunt ii, qui non Attice loquebantur, ea significatio recentioris est aetatis. atque Aristoteles de zodiaco (μετ. 6, 24 Bekk.) loquens εἰς δώδεκα ζωδίων χώρας dixit cf. Ath. XII 536[f]. sigilla sunt ap. Her. I 70 τοῦτο δὲ ποιησάμενοι κρατῆρα χάλκεον, ζωδίων τε ἔξωθεν πλήσαντες περὶ τὸ χεῖλος.

Reliquorum quae huius generis sunt deminutivorum usus apud Atticos frequens est. primum καλῴδιον ap. Ar. Vesp. 379. Thuc. IV 26, quibus locis adscripta vocali signatum est; atque pariter ap. Poll. VII 160 et in lex. rhet. Bekk. p. 447, 7. recentiores scriptores eodem crebro usi sunt, ut Polybius, Plutarchus, alii.

Eandem analogiam excipit λαγῴδιον, pro quo ap. M. Anton. X 10 λαγίδιον legitur. at ap. Poll. V 15 pro λαγίδια haud dubie emendandum est λαγιδεῖς, quam ad formam ducit lectio marginis cod. A λαγίδες. nec quisquam erit qui ad formas λαγῴδιον et λαγίδιον id significationis accommodet discriminis, quod Hesychius facit inter λαγώς et λαγός, quo ille sit terrester, hic marinus lepus. Aristophanes Ach. 523 praestat

53) forsitan pro eo sit corrigendum δορύλλιον, cf. infra. 54) hoc est a καλιά cf. supra. 55) cf. Diod. S. II 10. Strab. t. I p. 359 et Tzsch. Ath. 197[b]. 205[c]. Polyb. IX 75, 8. stella vero quaelibet huius orbis ζώδιον singulariter profertur a schol. Pind. N. 2, 16.

Atticam formam. cf. E. M. 550, 20. at forma minus Attica λαγίδια sunt *cuniculi*, cf. Strabo t. I p. 385 (Tzsch.).

Superest κώδιον forma magis quam significatione deminutivum. id enim vocabuli κῶας[56]) poetici loco in Atticorum usum venit. incertior tamen est eius originatio. in E. M. 570, 17 κῴδιον per syncopen ut ex κωατίδιον factum explanatur, quam ad notationem prope accessit schol. Pind. P. IV 107. deminutivi autem significatio ab Eust. 82, 32 inde repetitur, quod Cares dixerint κόον s. κῶν τὸ πρόβατον, unde Poll. V 16 καὶ τοῦ προβάτου κώδιον. nominativum ergo κῶς, si ex Eustathii observatione Graecorum fuerat, imparibus, ut aiunt, syllabis flexum fuisse dum sumimus, quomodo formatum sit κώδιον, apertissima est ratio. atque id scribi consuevit sine ι cf. Ar. Plut. 166. Pac. 1121 Eq. 401. Plat. Prot. 315 d. aucta deminutione κωδάριον legitur ap. Arist. Ran. 1202.

Videmus ergo, uti deminutiva in -υδιον, sic quae cadunt in -αδιον et -ωδιον, illius, quae est formationis, vocalis ι iacturam fecisse eamque esse caussam, quare illorum nominum, in quam radix exit, vocalis, ubi cum terminatione coaluerit, producatur.

Cum igitur omnes ex ordine vocalium quae terminatione -ιδιον formantur, complexiones tractaverimus, pergimus iam ad alteram huius rei partem, qua deminutiva nominum, quorum radices in consonantes desinunt, continentur.

§ 2.

DEMINUTIVA IN -ΙΔΙΟΝ, QUORUM RADICES TERMINANTUR IN CONSONANTES.

Praecepto a Buttmanno in gramm. tradito, quo terminatio -ιδιον a terminatione -ις originem traxerit, nonnulla quidem parent deminutiva, quae a primae flexionis nominibus oriuntur, sed cum mascula nomina, quae hac terminatione afficiantur, ob generis diversitatem hypocorismum -ις attingere non soleant, hac argumentatione analogia infirmari videtur. huc accedit, quod inveniuntur dem. in -ιδιον, quae quidem illi legi subiecta esse possunt, sed quominus illinc initia ducere putentur, usus obstat. quis enim ἀρχίδιον, γνωμίδιον, δικίδιον ad ἀρχίς, γνωμίς, δικίς, quae ne graeca quidem sunt, repetat? atque μαχαιρίδιον ne a μαχαιρίς deducatur, utriusque nominis significationis discrimine impeditur: cf. infra. deminutiva ergo in -ιδιον cadentia aeque principalia sunt atque reliquarum terminationum dem. commune vero, quo haec deminutiva teneantur, vinculum est declinatio, qua haec disponenda putavimus vocabula:

a) primae flexionis deminutiva:

ἀρχίδιον, magistratulus. Ar. Av. 1111 ubi schol. ὑποκοριστικῶς τὴν ἀρχήν. διαβάλλει δὲ αὐτοὺς ὡς ἅρπαγας. eodem contemtu est ap. Dem. cor. 314 ὑπογραμματεύων καὶ ὑπηρετῶν ἀρχίδιον.

γνωμίδιον, ratiuncula, ap. Ar. Nub. 1121 quem ad locum respexit

56) cf. Lob. Path. I p. 404.

grammaticus Bekkeri p. 6, 5. tum significat *sententiolam* ap. Ar. Eq. 100. Luc. paras. 42.

δικίδιον controversiola Ar. Nub. 1139. μικρὸν δ. id. Vesp. 571.

ἑταιρίδιον, meretricula, utrum repetatur ab ἑταίρα an ab ἑταιρίς, parum refert, nullius nisi Pollucis IV 151 ἑτ. ὡραῖον praebentis firmari potest auctoritate.

θεραπαινίδιον ancillula, pro quo Hesychius per syncopen formatum θεραπνίδιον profert. illam formam non modo Pollux IV 151 tuetur, sed Lucianus quoque Pisc. 17 et Plut. Ant. 29.

θραττίδιον parvulus mullus, usurpavit Anax. ap. Ath. III 106[f]. VII 329[e] ubi olim θριττίδιον vitiose legebatur, quem versum ordinavit Meinekius ad Men. p. 181.

θυρίδιον, dubiae auctoritatis. apud Ar. Nub. 93 (luv.) editum est: ὁρᾷς τὸ θύριον τοῦτο καὶ τῳκίδιον; Bavar. praestat θυρίδιον contra metrum.

κεφαλίδιον non minus incertum num unquam fuerit dictum. etenim ap. Poll. IV 42, ubi a κεφαλὴ derivata referuntur, iuxta sese collocata leguntur: προσκεφαλάδιον, κεφαλίδιον, pro quo κεφαλάδιον, quod in glossariis iuxta προσκεφαλάδιον locum habere solet, emendandum videtur.

κλινίδιον, sellula cf. Poll. VIII 159, Atticis id dem. certa praeditum fuisse videtur significatione, ut Ar. Lys. 916 φέρε νῦν ἐνέγκω κλινίδιον νῷν — cui loco apta est quae conferatur observatio Pollucis X 32: ἐν δὲ τῷ κοιτῶνι δεῖ μὲν εἶναι κλίνην τινὰ ἢ κλινίδιον ὡς ἐν Λυσιστράτῃ (916) Ἀριστοφάνης, ἢ κλινάριον ὡς ἐν Δαιταλεῦσιν (cf. Bekk. An. 144, 18), ἢ κλινίδα ὡς ἐν Ὀδυσσεῦσι Κρατῖνος. at κλινὶς et ipsum Aristophanis est Thesm. 262: Α. φέρ' ἔγκυκλον· Β. τουτὶ λαβὼν ἀπὸ τῆς κλινίδος. eidem Aristophani eandem sellulam etiam κλιντήριον dictam fuisse in fab. Δὶς ναυαγὸς affirmat Poll. X 33 quae tamen fabula habetur suspecta.[57]) Latinorum *lectica* ita solebat Graece reddi cf. Dion. H. t. III 1476 R. Diod. S. XVIII 46 fin. Plut. Cor. 24. Cat. min. 70 etc.

κοιτίδιον cistula, schol. ad Luc. Somn. 21.

κραμβίδιον Poll. VI 54: Ἀριστοφάνης δὲ τὴν ῥαφάνην καὶ κραμβίδιον λέγει ἐν Ἀγροίκῳ. at huiusmodi fabulam scripsit Menander, non Aristophanes. cf. Mein. ad Men. p. 165.

κορίδιον ancillula, Atticis pro κοράσιον probatum fuisse didicimus ex Phrynicho p. 73 (Lob.).

κριθίδιον vile hordeum, Luc. Asin. 3, 17. 46. 47. Ath. V 214[e].

λεκανίδιον Poll. X 84.

μαινίδιον halecula fuit Arist. ἐν Δαναΐσιν sec. Poll. I 76. idem usurpavit Pherecr. ap. Ath. VII 309.

μαχαιρίδιον gladiolus, pugio. apud Ar. Eq. 413 ubi olim μαχαιριδίων τε πληγάς de cultro culinario (cf. Poll. X 104) legebatur, nunc vera lectio restituta est a Dindorfio: μαχαιρίδων τε πληγάς. illud enim

57) cf. supra.

est gladiolus cf. Aristot. H. A. 15, 18 (Bekk.). Luc. Pisc. 45. adv. ind. 29. cf. supra.

Μυρρινίδιον meretriculae nomen ap. Ar. Lys. 872.

ὀσμυλίδιον parvula ocaena, non certam habet auctoritatem. Pollux quidem II 76 affert Aristophanis versus: τραπόμενον εἰς τοὔψον λαβεῖν | ὀσμυλίδια καὶ μαινίδια καὶ σηπίδια. at ex Ath. VII 324[b] pro ὀσμυλίδια emendandum est ὀσμύλια cf. Dindorf. ad Ath. p. 130 qui affert Photium 352, 25 hanc emendationem tuentem.

πελτίδιον, parmula, quo dem. exponitur πελτάριον a schol. Luc. dial. Mort. III 5.

περιστερίδιον, columbula, non omni vacat dubitatione. legitur quidem ap. Ath. XIV 654 ἐπειδὴ δὲ πολλάκις ὑμῖν εἴρηται, περί τε κρεῶν καὶ ὀρνίθων καὶ περιστεριδίων. et sic etiam expressit Dindorfius; at vereor, ut recte. ut emendetur καὶ ὀρνιθείων καὶ περιστεριδίων auctor sim, siquidem adiectivi περιστερίδιος analogia minime caret. cf. infra.

πηρίδιον perula, Ar. Nub. 928. sic L. C. I. Suid. in πήρα et Τήλεφος ubi v. Küster. cf. Dind. in aliis cdd. scriptum est Εὐριπιδίου. idem dem. ex Ar. σκην. καταλ. affertur a Poll. VII 157. X 144.

περκίδιον Anaxandr. ap. Athen. III 106[f].

πετρίδιον saxulum, Arist. H. A. V 13, 8. Ath. VII 323[d].

πορνίδιον scortillum, Luc. Tim. 23. Phil. 4. cf. Poll. VI 201. de irrationali eius secundae vocalis productione cf. supra.

πυγίδιον clunes aridae, Ar. Eq. 1379.

σκαφίδιον scaphula Luc. Contempl. 8, 14. 22 de merc. c. 3. Strab. t. I p. 20 (Tzsch.) etc.

σκηνίδιον tentoriolum Thuc. VI 37 fin.

στηλίδιον columella Strab. t. I p. 132 ubi tamen complures codd. στυλιδίων habent. illa vero scriptura firmatur ab Hesychio, ubi vitiose scriptum est στηλήδια.

τιττίδιον ἀναλόγως formatum dubiae est auctoritatis. duo versus ex Ar. Thesm. δευτ. afferuntur corrupto metro: τὴν πτέρυγα παραλύσασα τοῦ χιτωνίου | καὶ τῶν ἀποδέσμων, οἷς ἐνῆν τιτθίδια. secunda enim huius dem. syllaba brevis est; unde Brunckii τὰ τιτθία scribentis emendatio proba videtur cf. Dind. Ar. frgm. p. 145.

φλυκταινίδιον pustula Hipp. I 163 Foes.

χυτρίδιον ollula Hesychio est μέτρον τι cf. Ar. Pac. 203. Eccl. 776. Ach. 470. 1190 ubi olim χυτρίον, quod alibi non invenitur dem. a Dawesio misc. crit. p. 204 χυτρίδιον emendatum legebatur. cf. Alexis ap. Ath. XI 502. Meleag. Cyn. ibid. Luc. Prom. XI 502.

χωρίδιον agellus, praediolum Isac. ὑπ. τοῦ Ἀριστ. χρ. 154. Thuc. IV 13, 3. Plut. M. Cat. 2.

ψυχίδιον animula Luc. nav. 26. — Unum est virilis in -ας primitivi deminutivum παππίδιον Ar. Eq. 1216. Vesp. 655 comice formatum.

b) **secundae flexionis deminutiva:**

ἀγρίδιον, agellus Diod. Sic. XIII 84. Hesych. ἀγρίδιον· κωμάριον, χωρίον παρὰ Αἰτώλοις videtur fuisse vicus Aetolis sic vocatus.

ἀσκίδιον, utriculus. Arist. Eccl. 306. Posidon. ap. Ath. XV 692[c] cf. Eust. 1047, 57. Poll. X 187.

Ἀμπελίδιον meretriculae nomen ap. Luc. dial. mer. 8.

γλαυκίδιον cf. supra.

διφρίδιον sellula. Platonis σκολύθρια Eusth. 278[b] per διφρίδια μικρὰ qui exponerent fuisse testatur nescio quis in E. M. 788, 44 pro eoque videntur Attici dixisse cum διφρίσκος ut Arist. Nub. 31 tum θρανίδιον cf. infra.

δημίδιον popellus ap. Ar. Eq. 1207. dubia vero est lectio ibid. 726 ubi in libro Rav. legitur ἔξελθε δῆτ' ἄν, ὦ Δημίδιον φίλτατον. sed cum modo imperativi particula ἂν non dicitur (v. Herm. de part. ἂν p. 176). vulgo ita versus scribebatur: ἔξελθε δῆτ', ὦ Δημίδιον φίλτατον metro vitioso. Bentleius quondam corrigere voluit: δημακίδιον ὤν, sed cum secunda huius dem. syllaba sit longa cf. ibid. 833: μιαρώτατος ὦ Δημακίδιον καὶ πλεῖστα πανοῦργα δεδρακώς. Dindorfius scripsit: ἔξελθε δῆτ' ὦ Δημίδιον ὦ φίλτατον· hac transpositione, nisi aliam ob caussam displicet, interiectionis ὦ versus fit integer: ἔξελθε δῆτα, Δημίδιον ὦ φίλτατον. pariter interpusitum est substantivo et adiectivo mediis ap. Soph. Ai. 389 ἔρεβος ὦ φαέννατον atque iam ap. Hom. Od. 20, 119 χαῖρε, πάτερ ὦ ξεῖνε. quo loco post πάτερ incidi non est necesse. cf. Lob. parerg. ad Phryn. p. 565.

ζωμίδιον iusculum Ar. Nub. 389.

θρανίδιον sellula Poll. X 47. θράνος (sic!) θρανία, θρανίδια ἐν Νήσοις Ἀριστοφάνους. cf. E. M. 454, 3 θρᾶνος ὑποπόδιον καὶ θρανίδιον λέγεται.

θυμίδιον animulus vel animus ad iram facile proclivis Ar. Vesp. 910.

ἱππίδιον parvulus quidem piscis, uti Hes. exponit. fuisse etiam qui pro *equuleo* usurparent, ex Antiatticistae Bekk. II p. 679: ἱππίδιον οὐ μόνον ἱππάριον et Moeridis idem afferentis scholiis patet. piscis sic appellatus est ab Epicharmo ap. Ath. VII p. 304[e]. de ἱππάριον, ἱππίσκος suo loco.

καπρίδιον apri recentis glandium. Ar. Ταγην. ap. Ath. III 104[f]. IX 374[f]. cf. Dind. frgm. Ar. p. 179.

κορακινίδιον piscis quidam corvi referens colorem, unde κορακῖνος κορακοειδεῖς Epich. ap. Ath. VII 304[e]. inde ab adiectivi potius quam a deminutivi potestate profectum videtur cf. supra. voculam illam fuisse Pherecratis et Anaxandridis testatur idem p. 329[e].

κροκωτίδιον vestimenti muliebris genus ap. Ar. Eccl. 355. Lys. 47. cf. Iung. ad Poll. VII 56.

Λαμαχιππίδιον Ar. Ach. 1220 ed. Brunck. (1206 Dind.) χαῖρε Λαμαχιππίδιον. Elmslei. tamen et Bekk. quos sequitur Dindorf. (1206) ἰὴ ἰὴ χαῖρε Λαμαχίδιον.

λαρκίδιον carbonum vasculum Ar. Ach. 340. Poll. X 111.

λιβανίδιον thusculum nunc legitur ex Bentleii correctione in Men. rel. p. 92 ed. Mein.

λιθίδιον lapillus Atticorum usu frequentatum cf. Lob. ad Phryn. 680.

λογίδιον ratiuncula Ar. Vesp. 64. Plat. Eryx. 410. Isocr. κατ.

σοφ. 50, 4. 512, 11 (Lange) pro quo usurpavit Dem. de falsa leg. 421 λογάριον.

μηρίδιον parvulum femur. apud Pollucem V 63 carnium proprietates referentem commemorantur etiam μηρίδια ὑγρά, femora mollia, unde cum nulla deminutiu conspiciatur, fortasse est adiectivum ut μοιχίδιον cf. Antiatt. Bekk. p. 108, 1. cf. supra.

μοσχίδιον ramus tenellus, quo spectat Hesychii interpretatio: μοσχεύματα unde Ar. Ach. 996 νέα μοσχίδια συκίδων. cf. Hyper. ap. Suid. Antiatt. Bekk. 108, 1.

μυθίδιον fabella Luc. Philos. 2 l. q. μυθάριον.

μυρίδιον unguentulum, quo usum esse Aristophanem ἐν Ταγηνισταῖς pro μύρον affirmat Pollux X 119.

νησίδιον Thuc. VI 2 et saepius de loco contendit ei cum νησίον cf. Strab. t. III 610 Tzsch. et cum νησίς cf. Plut. Oth. 13. illud tamen superius est cf. Str. t. I p. 60. 643. t. II p. 21 etc.

ὀνίδιον asellus a Suida ὀνάριον expositum legitur ap. Ar. Vesp. 1306.

πιλίδιον non tantum *pileolum*, verum etiam *udonem* significare inde perspicitur, quod id nomen illa potestate[58]) non absolute ponebatur, ut Ar. Ach. 446 τὸ πιλίδιον περὶ τὴν κεφαλὴν τὸ Μύσιον — cf. Plat. pol. III 405[d] πιλίδιά τε περὶ τὴν κεφαλὴν περιθείς. Dem. de falsa leg. 421 fin. ἂν πιλίδιον λαβὼν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν περινοστῇς. nomen solum posuit Antiphanes ἐν Ἀντείᾳ ap. Ath. XII 545[a] πιλίδιον ἁπαλόν, εὔρυθμος βακτηρία. sin vero primitivi adaequat vim, id quod explanat Poll. X 171 οὐ μόνον δὲ ὁ ἐπὶ τῶν κεφαλῶν πῖλος οὕτως ἐκαλεῖτο, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῖς ποσὶν ὡς Κρατῖνος.

πρινίδιον ilex parvula Ar. Av. 615.

πυξίδιον tabella, Aristophanis fuisse testatur Poll. IV 18 cf. id X 59. 60.

πυρίδιον Ar. Lys. 1206.

σατυρίδιον satyriscus Ciceronis Strattis ap. Athen. II 69[a]. σατυρίσκος ap. Theocr. V suu loco.

σπινίδιον passerculus. ex Νήσοις quae fabula ut Aristophanea suspecta habetur, ita ex emendatione pro πηνίδιον Salmasii cf. Stob. vol. II p. 404. Iac. ad Ael. N. A. c. 25 p. 465.

σπλαγχνίδια viscera pusilla. Antiph. ἐν Παρασίτῳ ap. Ath. IX 370[f].

στιχίδιον versiculus Plut. Pericl. 30. Ath. I 4[a].

συκίδιον ficula a σῦκον est non a συκῆ cf. Ar. Pac. 599. ceterum apud Aristoph. Ach. 996 legitur νέα μοσχίδια συκίδων non ut Passov. in lex. citat μ. συκιδίων.

τεκνίδιον infantulus Ar. Lys. 889.

τυρίδιον caseolus Epich. ap. Ath. IX 366[b] vitiose in MS. τηρήδιον.

χοιρίδιον porcellus, saepissime Ar. usurpatum ut Pac. 375. Vesp. 593. Ach. 813 etc. qui idem et χοιρίον usus est, quocum illud Ach. 785 de loco certat. tum ap. Plat. Euth. 298[d]. Men. p. 78 ed. Mein. et alios.

58) cf. supra.

χρυcίδιον aureolus nummus Isocr. c. soph. 504, 3 (B.) ubi singularis est; plur. χρυcίδια ap. Dem. I c. Aph. 818. Plut. Dem. 31. Aristophanis fuit χρυcιδάριον quod cum aliis dem. in medium profert Aristot. de rhet. III 2 (Buhl.).

c) **tertiae flexionis deminutiva.**

illuc pertinent nomina quae vocali, in quam radices cadunt, suppressa terminationem ita recipiunt, ut corripiatur, velut Ξιφίδιον, φυκίδιον, Cωκρατίδιον, de quibus supra; deinde γραμματίδιον, si, quod negavimus, a γραμμάτιον proficiscitur.[59]) nullum praeter hoc nobis innotuit deminutivum, cuius primitivum in -μα cadens hypocorismo -ιδιον insignitur. cetera quae legimus sunt haec:

cαρκίδια, carunculae Ath. VII 316[d]. Plut. Cat. mai. 23.

αἰγίδιον hoedillus. Pher. ap. Ath. XIV 64, 8[e]. Eub. ibid. XV 679[d].

μειρακίδιον adolescentulus; quod ad usum Atticorum quidem attinet, cessit deminutivo μειράκιον; quo interdum variatur. cf. Epicrat. ap. Ath. II 59[d] Παναθηναίοις γὰρ ἰδὼν ἀγέλην | μειρακιδίων ἐν γυμναcίοις. eademque dittographia non ita multo post: κάξαίφνης ἔτι κυπτόντων καὶ | ζητούντων τῶν μειρακιδίων. ubi metrum anapaesticum hoc dem. tuetur.

πινακίδιον tabella multo rarius quam πινάκιον, quod hac in re Atticis peculiare fuit. potest enim dubitari, num illud ei rei proprium fuerit, quam schol. ad Ar. Plut. 277 exponit: ὅcοι δὲ δικαcταὶ ἦcαν ἐν Ἀθήναιc, ἕκαcτος καθ' ἕκαcτον δικαcτήριον εἶχε δέλτον, τουτέcτι πινακίδιον, ἐν ᾧ ἐγγεγραμμένον ἦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοῦ δικαcτηρίου, quae ipsa tabula post ab eodem πινάκιον vocatur. illud videtur postea in Graecorum usum venisse, ut ap. Plut. Eum. 1, id quod etiam ex An. Bekk. 288, 33 liquet: πινάκιον, τὸ ψήφιcμα καὶ ἡ γραφὴ καὶ τὸ νῦν πινακίδιον τῶν κοινῶν γραμμάτων· cf. E. M. 672, 36, atque ita explanatum videmus illud γραμματεῖον ibid. 226, 26. 272, 27, quam ad rem convenit Eustathii 1720, 21 observatio: πινακίδια, ὅτε ἐν πινακιδίοιc κηρῷ ἀληλιμμέναc ἔγραφον οἱ ἀρχαῖοι διά τινοc γραφείου ἐκ cκληρᾶc ὕληc.

κυνίδιον catellus. Ar. Pac. 484. Ach. 547. Plat. Euth. 398[e]. Xen. Oec. 13, 8 cet.

θηρίδιον bestiola Atticis spretum videtur. unum nobis obtulit exemplum Stephanus Theophrastum citans, tum Phrynichus Arabs in Bekk. An. 72, 11.

Syncopae obnoxia sunt: πατρίδιον commemoratum ab Eustathio 886, 31 et Aristophanis (Vesp. 986) et Xenarchi ap. Ath. XIII 569[c] auctoritate testatum; deinde γαcτρίδιον, ventriculus Ar. Nub. 391. cf. Pollux II 168. at μητρίδιον adiectivum esse supra demonstravimus. cetera in -ηριδιον desinentia vocabula utrum fuerint deminutiva, dubium est. cf. supra. ut Ξυcτηρίδιον, quod a Phrynicho Arabe (An. Bekk. p. 51, 9) in deminutivis poni videtur· λίcτριον (sic!) τὸ ὑπὸ τῶν πολλῶν καλούμενον κοχλιάριον. Ὅμηροc μὲν λίcτρον τὸν Ξυcτῆρα, οὗ

59) cf. supra.

ὑποκοριστικὸν λιστρίον, οἷον ξυστηρίδιον. quod tamen adiectivum esse videtur, ut ποτηρίδιον, ψυκτηρίδιον cf. supra.

Huic rei haud dissimilis est terminatio -ισκιδιον, uni quod sciam, vocabulo adiuncta: χλανισκίδιον ap. Ar. Pac. 1002, quod ut χλανίσκιον a χλάνα obsoleto illo originem habere videtur cf. infra, et aucto hypocorismo Πριαμυλλίδιον Epich. Cram. An. IV 254.

His igitur perspectis facile concludi potest, pauca inveniri nomina, quae imparibus syllabis flexa hoc hypocorismo insignita fuerunt. nam etsi permultae apud Graecos voces varie deminuebantur, nonnulla tamen quamvis regula concessa deminutivorum genera Atticis improbata fuisse, veterum technicorum testimoniis intellegitur. cf. Lobeck. ad Phryn. 180.

IX.
DE DEMINUTIVIS IN -ΙϹΚΟϹ -ΙϹΚΗ CADENTIBUS ET DE IIS QUAE INDE PROPAGANTUR.

§ 1.
HYPOCORISMUS -ΙϹΚΟΝ NEGATUR. NOMINA IN -ΙϹΚΟϹ -ΙϹΚΗ, QUAE PRIMITIVIS VIDENTUR CARERE, CITANTUR.

Hypocorismus -ισκον quem Spohnius l. l. p. 128 in medium protulit, duabus Hipponactis voculis cum nitatur, eo magis suspectus esse debet, quod a nullo veterum grammaticorum commemoratur. in loco illo Hipponactis (cf. Babrii fab. a Meinekio coll. p. 105) δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι καὶ κυπασσίσκον | καὶ σαμβαλίσκα κἀσκερίσκα καὶ χρυσοῦ | στατῆρας etc. videtur pro σαμβαλίσκα emendandum σαμβαλίσκια, pro κἀσκερίσκα autem κἀσκέραστε, ut versus ita constituatur: καὶ σαμβαλίσκια κἀστέρας τε καὶ χρυσοῦ. ceterum v. 10 eiusdem fragmenti repetitur: οὔτ' ἀσκέρῃσι τοὺς πόδας δασείῃσι. κασκερίσκια vero ne corrigatur, metro prohibetur, quamquam ita in Papii lexico expressum est.

Ac primum quidem nonnulla reperiuntur in -ισκος exeuntia vocabula, quae se ad certum quoddam nomen primitivum non patiuntur referri. vetustissimum est illud Lycii praetoris nomen Κυβερνίσκος ap. Her. VII 98. namque δίσκος vix quisquam huic vocum generi adnumeraverit. haec verbalia sunt, cuius generis videntur esse posteriorum Graecorum figmenta: δροπίσκος, corbis, a δρέπειν repetendum ap. Hes., et θύσκη sive potius θυίσκη, thuribulum, cuius voculae formam explanavit E. M. σκάφη ἡ τὰ θύματα δεχομένη· ἀπὸ τοῦ θύω· unde θυσκάριον. ab adiectivi deinde forma profectum est λευκίσκος, piscis quidam a colore suo sic nominatus ap. Athen. VII 306ᵉ, quemadmodum γλαυκίσκος, cf. infra. namque ab adiectivis, nisi iocabantur[60]) Comici, non solebant fieri deminutiva; atque unum illud ἰσχυρίσκος· ἀντὶ τοῦ ἰσχυρός ap. Antiatt. Bekk. 100, 7 iam diu a viris doctis emendatum est: ἰσχυρικός. unum vero, cuius origo non statim in promptu est, Atticorum[61]) χλανίσκιον χλανισκίδιον longinquius repetendum videtur a χλάνα, obsoleta forma, cuius in locum

60) ut φιλτάτιον ap. Aristoph. 61) cf. Ar. citatus a Papio in lex.

successit χλαῖνα, nisi forte per syncopen factum putatur ex χλανιδίσκιον[62]) χλανιδισκίδιον, cuius rationis et κυπασσίσκος foret, si a κυπασσίς duceretur, quamvis commodius a κύπασσις, de qua formatione infra copiosius agetur. similis syncope est in κηθίον[63]) κηθάριον κηθίδιον, φιλοτάριον s. φιλοττάριον. ceterum χλανίσκος quod in vulgaribus lexicis prostat, si cum primitivo suo comparatur, ob generis diversitatem exlex a Polluce fictum videtur.

Certior vero originationis ratio cernitur in vocula κωραλίσκος a Photio per μειράκιον explicata, sub quo nomine Epilyci fabula saepius commemoratur ab Athen. XIV 650^e. XVI 691^c. cuius simplicior forma κώραλος pro κῶρος s. κοῦρος num unquam exstiterit, omnino latet. ceterum illud Cretensium fuisse fertur. pariter ad originem incertum est Lacedaemonium quod dicitur vocabulum ὀρθαγορίσκος s. ὀρθραγορίσκος, porcellus ap. Ath. IV 139^b. cf. Steph. s. v.

Neque magis certo constitui potest, quid sibi voluerit Antiphanis κρωμακίσκος ap. Ath. X 396^b κοῦφός γε μικρὸς κρωμακίσκος οὑτοσὶ | γαλαθηνός. neque enim ulla cum κρῶμαξ significationis similitudo perspicitur. tum ἀνθρίσκος, scandix australis ap. Theophr. VIII cf. pro quo E. M. auctor, unde ἀνθρίσκιον sumserit, mihi quidem incertum est, suo illud accentu citatum a Polluce VI 19. 106. idem duplici genere distinctum affert Plinius, semel masc. H. N. XXI 15, iterum neutr. *anthriscum* ib. XXII 22, quod fortasse secundum Ath. XII 685^c *anthryscum* corrigendum est. sed ἀνθερίσκος, asphodeli culmus, non diversus est ab ἀνθέρικος, vulgo ad ἀθήρ relatum, cf. Lob. proleg. p. 324.

Atque Ephesii cur piscem, qui vulgo χρύσοφρυς vocitabatur (cf. Ath. 328^e), ἰωνίσκον dixerint, rationem reddant. an quod is sapuerit mare Ionium? tum συρίσκος, *fiscina*, Aeolicae videtur fuisse dialecti ex ὕρριχος sive ὔρριχος factum, cognatum illud cum Attico ἄρριχος cf. infra. postremo στροβανίσκος, τρίπους ab Hesychio expositum, ῥίσκος, ἰβίσκος peregre videntur advecta: cf. Lob. proleg. p. 337.

Deminutivorum deinde in -ισκη, quorum primitiva non sunt aperta, σκιαδίσκη, parvum umbraculum, et κυλίσκη, quoddam poculi genus. illud non ut solet, ad σκιάδειον, sed ad σκιάς revocandum est, hoc ap. Dion. Hal. 2, 25 obvium directa via, si in usu fuisset, a κύλη duci posset. at in Alexidis versu ap. Ath. XI 470^e ubi olim κύλην legebatur, nunc κύλικα emendatum est, ita ut de illius primitivo nonnulla adhuc subsit dubitatio. inde derivatum nomen κυλίσκιον a Polluce VI 98 servatum, quod quondam legebatur in Ar. Ach. 459, nunc locum concessit κοτυλίσκιον. cf. Ath. XI 479^b. etiam maior videtur fuisse propriorum in -ισκος et -ισκη nominum, quorum primitiva nonnunquam frustra quaeruntur, licentia. id genus sunt praeter illud quod supra in medio posui Κυβερνίσκος, Ἰανίσκος (Paus. 2, 26 cf. schol. Ar. Plut. 701) fortasse expertum syncopen pro Ἰαωνίσκος. deinde Δορίσκος Thraciae oppidum ap. Herodotum (VII 59) haud dubie ad δορός assimulatum. tum Μυνίσκος,

62) quo usus est Aristaen. 1, 11. 63) hoc enim in primitivi, quod adhuc in lexicis requiritur, locum successit.

histrio quidam tragicus Chalcidensis, pro quo ap. Athen. VIII 344[b] in duobus codd. Μύνικος i. e. Μύνιχος scriptum est. hoc certo erunt qui ad nomen Μύνης s. Μύνιος reducant. aeque certa est nominis Βρομίσκος, oppidi Chalcidici, originatio, si recte se habet ap. Thuc. IV 103 scriptura, quae olim fuerat Βρωμίσκος, a Poppone ad βρόμος relatum. sic possunt Μενίσκος, Παρμενίσκος et syncopatum Παρμίσκος aut ad verbum μένειν formata esse aut ad nomen μένος, ut fortasse Μελίσκος (Paul. Sil. VI 82) ad μέλος.

Horum denique nominum accentus quin ad legem appellativis propriam scribatur, non est dubitandum, uti Ταυρίσκος ap. Strab. VII 2 p. 293. unde tenoris interdum fluctuatio ad veram nominis scripturam ducit, ut in Φιλίσκος et Φίλιστος cf. interpr. ad Dion. Hal. p. 722, neque ambigo, quin Herodotus IV 92 communem populi sui morem secutus Thraciae flumen scripserit Ἀρτίσκος, non Ἄρτισκος, neque uti a Baehrio editum est Ἀρτησκός, atque si quis Graecorum dixerit Phaliscos, casu recto pronuntiaturus fuerit Φαλίσκοι, indeque facile apparet caussa, cur ap. Ael. H. A. 16, 33 fuerint qui pro Σκαρίσκος Καρίσκος fluvium scripserint. ignotae autem originis sunt Ἐργίσκη Thraciae oppidulum cf. Harpocr. 125, 28 et Μουργίσκη, eiusdem terrae castellum ap. Aeschinem III 82.

§ 2.

QUAE DEMINUTIVA IN -ΙΣΚΟΣ ET -ΙΣΚΗ A PRIMITIVORUM GENERE DESCIVERUNT.

Primigeniorum nominum, unde diversi generis deminutiva repetantur, anomalia cum ultra neutrum genus progredi non consueverit, voculae μειρακίσκος, cuius primitivum Atticis quidem ἡ μεῖραξ fuit (cf. Lob. ad Phryn. p. 313), forma non modo deminutivo μειράκιον, sed eo etiam excusatur, quod delicatum significabat adolescentulum. Thomas igitur Magister, qui illud p. 606 ab Atticorum usu abiudicat, Platonis Phaedr. 237[b]. Theag. 122[c]. de rep. VII 539[b]. Axioch. 367[a] usu redarguitur. neque vero defecit αἰγίσκος (Hesych.) a primitivi sexu, cum etiam ὁ αἶξ ab Arist. H. A. 829 caper castratus dictus fuerit. inaequalis autem sunt, ubi cum primitivis componuntur, generis in -ισκος exeuntes voculae per metonymian quandam ad significationem formatae. huius generis sunt: ἀσπιδίσκος ab ἀσπιδίσκη, de quo infra, significatione diversum, a medicis *thorax* vocatum. cf. Plin. 27, 7, 28. unde Hesychius: τὰς κιθάρας ἐπ' ἄκροις πήχεσιν.

Deinde quod supra ex Hipponacte citatum est, κυπασσίσκος sive ducitur a κυπασσίς sive a κύπασσις cf. infra, si per me staret, corrigerem κυπασσίσκη.

Tum μηνίσκος apud Aristoph. Av. 115 tectum quoddam, quo simulacrorum capita ab avium spurcitia tegerentur. hinc in re militari de acie lunulae formam imitante: cf. Polyb. III 115 § 5 qui et ipse eam μηνοειδὲς σχῆμα nominat. neque scio an μηνίσκη ea potestate Graecis dictum fuerit, quod et Suidas et Hesychius in medium proferunt et fortasse improbatur a Photio, ubi pro μηνὶς haud dubie μηνίσκη corrigen-

dum est. eandem generis anomaliam prae se fert μυΐσκη, ostrea, si vera est emendatio Schneideri in indice rei rusticae et Corais ad Xenocratem p. 141 in Diphili versu apud Athen. III 90[d] αἱ δὲ μυΐσκαι τῶν μυῶν οὖσαι μικρότεραι. postremo κλιμακίσκος, quod ab Hesychio πάλαισμά ποιον explicatur, corruptum videtur ex κλιμακισμός, quamvis scholiastae Sophoclis Trach. 518 ἡ κλῖμαξ luctationis quoddam genus fuerit. quodsi quis denique vicum illum agri Megarici qui vulgo Τριποδίσκος vocatus fuit, cf. Thuc. IV 70. Paus. IV 8, 7, Τριποδίσκη dixerit, adversus grammaticae rationem locutus esse videbitur. cf. Steph. s. v. neutrius inde generis nomina irrationali quasi hypocorismo affecta optimae notae sunt σανδαλίσκος Ar. Ran. 409, σκελίσκος id. Eccl. 1203, κυπαιρίσκος s. κυπαρίσκος Alcm. ap. Hephaest. p. 76, siquidem Doricuses κύπαιρον pronuntiaverunt pro κύπειρον cf. Eust. 964, 9. E. M. 28, 37. 269, 52. at λεκίσκος de quo infra, etiam ab ὁ λέκος repeti potest. verum γραφίσκος ex Hes. interpretatione *ferramentum chirurgicum* a Theocle quodam inventum, et λινίσκος quod Eust. 1161 ὑποκοριστικῶς τὸ λεπτότατον λίνον explicat, labentis videntur fuisse Graecitatis; et κεντρίσκος piscis quidam, qui ex Theophrasto citatur, habet quidem quo defendatur, sed Schneidero suspectus, corrigenti κεστρινίσκος, quo usus est Clearchus ap. Athen. VIII 332[c]. propriorum denique nominum si qua inveniantur, quorum deminutivorum cum primitivis sexus minus concinat, rei natura factum est, veluti Λαγίσκη s. Λαγίσκα Isocratis amica cf. Ath. XIII 592. Harpocrat. p. 118, 15.

§ 3.
DE DEMINUTIVORUM IN -ΙϹΚΟϹ DERIVATIONE ET COMPOSITIONE.

Nomina deminutiva quae vel derivatione vel compositione propagantur, eius fere sunt generis, ut primitivorum instar certam sibi definitamque vim ac potestatem vindicaverint. sic νεανίσκος ipso primitivo frequentius, ut prototypi significationem fere recepisse videatur, ex sese peperit νεανισκεύεσθαι i. e. in adolescentibus versari cf. Phot. 291, 3 ubi Eupolidis, Amphidis, Posidonii citantur auctoritates: cf. Mein. Com. fragm. II 1 p. 434. pro quo νεανισκεύειν rarius est: cf. Bornemann ad Xen. Cyr. 1, 2, 15. a quo differt νεανιεύεσθαι, iuveniliter insolescere, unde νεανίευμα cf. Schaef. ad Plut. t. VI p. 454. sed παιδίσκος[64]), puerulus, Xenophonti aliisque scriptoribus usurpatum, habet femininum παιδίσκη, quod cum recentiorum potissimum Graecorum aetate in *scortuli* significationem abierit (cf. Lob. ad Phryn. p. 239) ex se gignit παιδισκεῖον, *lupanar* (Ath. X 437[f]). sed παιδισκάριον utrum, velut ait Eustathius 1164, 20 ὑποκοριστικώτερον ἢ παιδίσκος ad hoc, an uti in vulgaribus lexicis, ad παιδίσκη referendum sit, non tantum decidit Lucianus, qui *ancillulam* eandem et παιδίσκην et παιδισκάριον Asin. vocavit, sed etiam Diogenes Cyn. qui interrogatus num παιδισκάριον ἢ παιδάριον haberet, utrumque negavit: cf. Diog. Laert. VI 72 ed. Meib. Callix. Rhod.

64) Pollux II 9: παιδίον, παιδάριον, παιδίσκος.

ap. Ath. V 200[f] ubi de Semelae thalamo loquitur: ἐστεφάνωτο τὰ μὲν ἡνιοχοῦντα παιδάρια πίτυϊ, τὰ δὲ παιδισκάρια κισσῷ. verumenimvero adiectivum κανισκῶδες (sc. πλέγμα) scholiasta Aristophanis Vesp. 672 contra omnem omnino formavit analogiam.

Ad compositionem denique ubi quaeritur, num Graeci huiusmodi deminutiva adhibuerint, de Atticorum quidem usu prorsus negandum est, de posteriorum autem Graecorum concedendum: pauca fuisse talia nomina aut ludibrii aut rei cuiusdam certae designationis caussa formata, ut φιλοσοφομειρακίσκος apud Athen. XIII 572 comici cuiusdam facetiis deberi videtur et ἀκροχηνίσκος, quod Steph. in thes. L. Gr. ex Polluce citavit, quo idem ait significari, quo ζεύγλημα sive ζεύγλη i. e. iugum; item χειροκαλαθίσκος apud Poll. IV 19, 130 saltationis quoddam genus. postremo in priore compositionis parte cernitur ὀβελισκολύχνιον, quo Theopompus Comicus pro ξυλολύχνιον usus fuisse fertur cf. Aristot. part. anim. 46. Athen. XV 700[e].

Iam in ceteris huius generis deminutivis moderandis eam ingrediemur viam, ut primum de iis disseratur, quorum primitiva in vocales desinunt, deinde ex declinationum, quae nostris quidem grammaticis sunt probatae, ordine de reliquis deminutivis, quorum primitiva in consonantes terminantur.

§ 4.

DE DEMINUTIVIS IN -ΙϹΚΟϹ QUORUM PRIMITIVA IN VOCALES EXEUNT.

Primae flexionis sunt νεανίσκος[65]), Λαμίσκος, quibuscum congruunt Λαμίσκη, ὑδρίσκη; secundae ναΐσκος aedicula ap. Strab. V 520 quem et ναΐδιον usurpasse supra vidimus. tum Ἑρμαΐσκος cf. Athen. XI 473. κανίσκιον, γραφίσκος de quo supra. tertiae sunt ea in quorum formatione vocali ε, in quam primitivorum radices cadunt, suppressa terminatio -ισκος ipsis nominum stirpibus adiungitur, ut in σκελίσκος de quo supra, in ἀμφορίσκος vas vinarium ap. Dem. 22, 26, in βασιλίσκος quod et nomen proprium est et appellativum: *regulus* ut ap. Ath. XIII 566[a]. Poll. III 44, unde avis *regaliolus* (Suet. Caes. 81) ap. Ael. de N. A. VII 18 et *piscis quidam marinus* Opp. Hal. 1, 29. eodem modo formatum est κυπασσίσκος, de cuius genere supra disputavimus, et Ἡρακλίσκος Theocr. id. 14. φθοΐσκος pillula apud Hippocratem. extremae denique Graecitatis nomen μετωνυμικῶς dictum πηχίσκος, a Suida ξυλάριον πηχυαῖον *stipes cubitalis* explicatum.

§ 5.

DE PRIMAE FLEXIONIS VOCULIS QUAE TERMINATIONE -ΙϹΚΟϹ ET -ΙϹΚΗ INFRINGUNTUR ET DE CETERIS QUAE PROPTER PROTOTYPORUM GENUS HUC PERTINENT.

Virilium nominum sunt νεανίσκος, δεσποτίσκος (Eur. Cycl. 269), δραπετίσκος Luc. fug. 33. κλεπτίσκος ex emendatione Meinekii com. frgm. II p. 452. tum Λαμίσκος philosophus Pythagoreus Samius Diog.

65) derivatum fortasse a νεᾶν cf. Lob. Phryn. p. 196.

L. III 22. Plat. ep. VII 350[a] et Λαμίσκη A. P. VII 166, denique Λεπτινίσκος comoedia Antiph. ap. Ath. XIV 641[f]. primitivi generi congruit μειρακίσκη Ar. Ran. 410. Plut. 963. cf. Poll. II 218. item παιδίσκη de quo supra et κορίσκη et inde κορίσκιον cf. Lob. ad Phryn. p. 75. tum κυνίσκη Ar. Ran. 1374, quod nomen si proprium est Doricam recipit formam Κυνίσκα Theocr. 14. Paus. III 8, 1. A. P. XIII 16, velut Λαγίσκα, de quo supra, Βοΐσκα Antip. Sid. VII 493 et Βοΐσκιον A. P. VI 2, 89, quae nomina Attice τρισυλλάβως et pro ratione δισυλλάβως pronuntiabantur. nomina denique Ἐργίσκη, Μουργίσκη unde oriunda fuerint, ignotum esse iam supra diximus. cetera quae sunt appellativa cum primitivis suis maxima parte cum flexione tum genere congruentia iam disponuntur:

κοτυλίσκη caliculus Pherecr. ap. Ath. XI 379[b] cuius deminutivum κοτυλίσκιον nunc Aristophanis Ach. 489 est cf. p. 248. virile autem κοτυλίσκος cf. infra. de κυλίσκη et κυλίσκιον iam supra p. 248 disputatum est.

λεκανίσκη, patella, in vulgaribus lexicis omissum a Polluce ex Aristophane citatum restituitur ab Iungermanno ap. eundem Poll. VIII 84 pro λεκανίσκους, quod generis aequalitatem offenderet: cf. Telecl. apud Pollucem l. c. et Hes. unde derivatum est λεκανίσκιον nostris in lexicis citatum.

μαζίσκη, placentula hordacea Ar. Eq. 1166. οἰκίσκη dubium num unquam exstiterit, quoniam ap. Dem. p. 48, 13, unde Pollux IX 39 illud citaverat, nunc οἰκία expressum est. ὑδρίσκη, situla, affertur ex Ptolomaei Euergetae commentariis ap. Ath. X 4, 38[f]. cf. Hes.

Tertiae flexionis quam sequitur prototypon, sola sunt ἀσπιδίσκη, parmula, recentioribus Graecis saepius usurpatum et inde ἀσπιδίσκιον, cf. schol. Theocr. 18. schol. Luc. dial. mort. XIII 5. de ἀσπιδίσκος v. supra.

§ 6.

DE DEMINUTIVIS QUORUM PRIMITIVA SECUNDAM SECUNTUR DECLINATIONEM.

Huius classis nomina propria sunt Αἰσχυλίσκος cf. Papii lex. Αὐλίσκος Paus. II 21, 9. Δαμίσκος Messenius quidam ap. Paus. VI 2, 10. Ἡραΐσκος ap. Suid. et in Phot. bibl. 342, 23, cuius primitivum Ἥραιος est. Θεοφιλίσκος dux quidam classis Rhodiae Pol. XVI 2, 5. Θεσσαλίσκος heros Thebanus Aristot. t. IV 277 B. et Attice Θετταλίσκος Arist. rhet. II 23. Κορίσκος ὁ Σωκρατικὸς ἐκ τῆς Σκήψεως Aristot. de soph. elench. t. III p. 532 ed. Buhle. Strab. V p. 384. cf. Jung. ad Poll. X 150 ubi διττογραφεῖται Κόρικον cf. Diog. L. III 46 ed. Meib. Λυκίσκος cf. Papii lex. Συρίσκος Anax. ap. Ath. XI 486[f]. Τραγίσκος Polyb. VIII 29, 3. Φρυνίσκος cf. Papii lex. de Ἀρτίσκος, Σκαρίσκος s. Καρίσκος, de Βρομίσκος v. supra.

Appellativorum sunt haec:

ἀκολουθίσκος, servulus pedisequus. Ptolemaei comm. ap. Athen. XII 55[a].

ἀνθρωπίσκος homullus, crebro recurrit. Ar. Pac. 541. Eur. Cycl. 318. Plat. cf. Bekk. Anecd. 1, 14, 14.

ἀρτίσκος semel ap. schol. Ar. Pac. 1194.

ἀστραγαλίσκος talus parvus. falso explicatur a Papio in lexico: ἀστραγάλισις. semel legitur ap. Poll. VI 99 οὐ μὴν ἔχει (φυκτὴρ) πυθμένα, ἀλλ' ἀστραγαλίσκους, ubi sunt *globuli* in glandularum modum poculorum pedibus subiecti.

αὐλίσκος parvula tibia. Sophoclis fuisse compertum est ex Longino περὶ ὕψους p. 7 ed. Toup. sumptum ex carmine satyrico cf. Ellendt. lex. Soph. tum legitur ap. Hipp. I 140 Foes. Dion. Hal. t. III 1487 (ed. R.). Theognidem v. 241. Aristotel. ap. Harpocr. 282, 10. de *fistula aquaria* ap. Polyb. X 44, 7 τούτων δὲ γενομένων ἀμφότερα κελεύει τρῆσαι τὰ ἀγγεῖα πρὸς ἀκρίβειαν, ὥςτε τοὺς αὐλίσκους ἴσους εἶναι καὶ κατ' ἴσον ἀπορρεῖν. cf. id. XXVII 9, 2. quo denique Hesychii glossa αὐλίσκοι ἐνώτια Πέρσαι spectet, doctiores videant.

βατραχίσκος μέρος τι τῆς κιθάρας ap. Hes.

βολβίσκος bulbulus. Philodem. A. P. XI 35.

βουκολίσκος quod cum contemptu videtur dictum non legitur nisi in titulo Theocr. id. 20.

βωμίσκος arula, recentiorum videtur fuisse Graecorum cf. Ant. Bekk. t. I p. 268, 9. artis nomen dicitur a Polluce de dentibus molaribus: τῶν μέντοι μύλων, τὸ μὲν πρὸς τῇ σαρκὶ βωμίσκον καλοῦσιν.

γλαυκίσκος, piscis quidam marinus Aristot. H. A. VIII 30 saepius ab Athenaeo commemoratur cf. Plin. H. N. 32, 10, 46.

διφρίσκος, plostellum ap. Ar. Nub. 31. cf. ib. schol. et Suid. de sessula cubiculi ap. Poll. V 45 qui et sellam familiarem, ut δίφρος, εὐφημότερον dictam fuisse narrat.

δολίσκος pugio μετωνύμως ita vocatum cf. Plut. Gracch. 10. Hesych.

ἐχινίσκος ap. Poll. II 2, 16 particula quaedam auris: ἡ περὶ τὴν κυψέλην κοιλότης. deinde ab eodem X 97 in vasis coquinariis collocatum.

ἡλίσκος ad formam *claviculus* Phot. p. 64, 4 ἡλίσκον τὸν μικρὸν ἧλον. Ἀριστοφάνης. hoc a primitivi significatione non differre probatur a Poll. X 61 τὸν ἧλον καὶ ἡλίσκον ἐν Ἥρωσιν Ἀριστοφάνης κέκληκεν. namque idem X 188 confirmat comicos dixisse ἡλίσκος pro ἧλος.

θυλακίσκος pera ad panem gestandum apta. Aristoph. ap. Athen. VI 267[f] et Poll. X 157 qui et ipse p. 172 θυλακίσκιον ex eodem attulit poëta.

ἱππίσκος piscis, quo nomine Alexidis fabula inscripta crebrius commemoratur ab Ath. III 120[b]. 133[b]. VIII 339[c]. tum significat tegumentum capitis in Ὀμφάλῃ Cratini iunioris: ὑμεῖς δ' ἐὰν ἱππίσκον ἢ τρίμιτον ἔχητε. cf. Pollux VII 58 et Hesychius: ἱππίσκον ἐπίθεμα κεφαλῆς ἢ γυναικὸς κόσμος, quem mundum ἱππεύς quoque dictum fuisse idem affirmat.

καδίσκος, de cuius scriptura cf. Bast. ad Greg. Cor. p. 28. E. M. καδίσκοι, ὑδρίαι χαλκαῖ, εἰς ἃς καθίενται αἱ ψῆφοι cf. schol. Ar.

Vesp. 320. Poll. VIII 16. Harp. 158, 6. illud ap. comicos et oratores frequentissime legitur: cf. Mein. Com. fragm. vol. II I p. 122. tum fuit poculi genus: Strattis apud Ath. XI 473ᶜ. Cratin. ib. 494 unde λεπτὰ καθίσκια Nicom. apud Poll. X 93. recentioris aetatis Graecis videtur fuisse *situla* i. e. ἀντλία v. Bekk. anecd. t. I p. 203, 9.

καλαθίσκος, quasillus Ar. Thesm. 822, unde in vasis gynaecei ap. Poll. X 125, unde Eupolis ap. eund. VII 29 ἄνευ καλαθίσκου de muliere minus laboriosa. tum *fiscellus casearius*, quo schol. Ar. Ran. 560 voc. τάλαρος explicat. cf. Hes. A. P. VI 160. denique *saltatio aliqua* cf. Apollophanes ap. Ath. IV 467. Poll. IV 4, 105.

καλαμίσκος fistula ad medicamenta instillanda habilis, qua medici utebantur. Ar. Acharn. 1047 et ibi schol.

καπρίσκος piscis nomen. Alex. ap. Athen. III 107ᶠ. VIII 355ᶠ. qui et idem μῦς vocatur.

καυλίσκος cauliculus Diod. S. frgm. XXXII p. 61.

κεστρινίσκος v. supra.

κοτυλίσκος poculum quo utebantur Graeci in Liberi patris sacris, cf. Nicander ap. Ath. XI 479ᶜ, quod Hesychius μόνωτον ἔκπωμα appellat. cf. Poll. VI 16. 96. Heracleon autem Ephesius ait etiam placentarum genus ita vocari, cf. Ath. XIV 617ᶠ.

κρουνίσκος epistomium Luc. Pisc. 10.

κυκλίσκος pilula. Clytus Miles. ap. Ath. XIV 655ᶠ.

λεκίσκος patella ex Hippocrate citatur a Poll. X 87, pro quo Foesius Oecon. Hipp. λεκίσκιον (Hipp. I 407 Foes.). cf. Iungerm. ad Poll. l. c.

λημνίσκος taeniola. Ath. V 210ᵈ. XII 544ᵉ. Plut. Syll. 27. A. P. XII 125 Hes. unde format Cicero *lemniscatus*, quod Graeco homini vix licuit.

μαγειρίσκος coquulus per contemptum sic nominatus ap. Ath. VII 292ᵉ σοφιστὴς μαγειρίσκος.

μοχλίσκος vectis parvus Aristoph. τοῖχον μοχλίσκῳ σκαλεύειν, a Poll. X 147 citatus. cf. Hipp. I 859 Foes.

ναΐσκος cf. supra.

ναστίσκος placentula, v. πολύτυρος Pherecr. Ath. VI 269ᵉ.

ὀβελίσκος veruculum Atticorum usu frequenter divulgatum cf. Ar. Nub. 188. Av. 359. Xen. An. VII 8. Hell. III 3, 7 cf. Poll. VI 13.

οἰκίσκος domuncula. Dem. pro Cor. 230, 97. cf. Bergler ad Alciphr. p. 100. Boiss. An. III p. 714. Harp. p. 259. tum fuit *aviarium* s. *cavea* Eust. ad Od. 14, 23. cf. Poll. X 159. Harp. 212, 26. Phot. p. 319, 4 ubi Aristophanes citatur et Metagenes. cf. Ael. H. A. III 40. Philostr. vit. soph. I p. 516. Suid. Hes. s. v. de οἰκίσκη v. supra.

οἰνίσκος vinum vile. Eub. ap. Ath. I 29ᵈ. cf. Mein. fragm. Com. II I p. 117.

ὁλμίσκος mortariolum cf. Papil lex.

ὁρμίσκος forceps parvus. Chares ap. Athen. III 93ᵉ. Ael. H. A. VIII 4. XII 20. Eust. 190, 17. Hes. s. v.

ὀνίσκος piscis nomen. Eust. 1164, 5 ὀνίσκος, εἶδός τι σκάρων οὕτω λεγόμενον cf. Athen. III 118ᶜ. VII 315ᶠ. tum significat *serram*

fabrilem cf. Hes. τεκτονικὸς πρίων. denique pariter ac primitivum est *sucula* cf. Baehr. ad Herod. VII 36.

ὀρφίσκος piscis marinus Ath. VII 316[d].

οὐρανίσκος camera. Callixen. Rhod. ap. Ath. V 196[b]. XIII 539[e]. Plut. Phoc. 33. Alex. 37. de palato Ath. VII 315[d]. Schol. Dion. Thr. anecd. Bekk. p. 810, 24. Eust. 1164, 5.

πασσαλίσκος verticillus Hipp. I 670 Foes. schol. Ar. Ach. 594 et ad Luc. adv. indoct. 10.

πιλίσκος pileolus Diosc. III c. 61.

ποταμίσκος amniculus Strab. t. V 515 Tzsch.

πυργίσκος turricula Ael. V. H. IX 13. Artem. 1, 76. a Suida ponitur inter τὰ σκεύη τὰ κατ' οἶκον ubi *arcula* est. hinc πυργίσκιον schol. Aeschyli Sept. 163.

σατυρίσκος Theocr. 4, 62. Mosch. 6, 4. A. Pl. 244.

σταμνίσκος urceolus Poll. X 159.

στεφανίσκος corolla Anacr. 40, 6.

στυλίσκος columella Strab. t. I p. 439 Tzsch.

ταλαρίσκος quasillus. Theocr. XII 113. Antip. Sid. A. P. VI 74.

τραγίσκος hirculus Theocr. XII 141. A. P. IX 317. tum piscis nomen Marcell. Sid. 23.

τροχίσκος rotula Strab. IV p. 446 Tzsch. apud medicos a formae similitudine repetitum *pastillus* ita nominatur. tum *piscis* 1, 9. ῥόμβος s. ῥύμβος cf. Mein. fragm. Com. II 1 p. 452. inde formavit schol. Apollon. Rh. IV 144 τροχίσκιον.

τυρίσκος caseolus Ael. H. A. VIII 5.

φορμίσκος corbicula. Plat. Lys. 206 a scholiasta καλαθίσκος explicatum cf. Poll. VII 173, unde aucta deminutione φορμίσκια quoque commemoratur cf. id. X 169.

χοιρίσκος porcellus Luc. dial. meretr. 7.

§ 7.

DE DEMINUTIVIS IN -ΙΣΚΟΣ QUORUM PRIMITIVA TERTIAM SECUNTUR FLEXIONEM.

Primum proponantur nomina propria: Ἀνδρίσκος Ath. III 78. Paus. VII 13, 1. Ἀρνίσκος Paus. VI 16, 5. Βοΐσκος ὁ πύκτης ὁ Θετταλός Xen. An. V 823. Κυνίσκος a nonnullis Zeuxidamus Spartiatarum rex cognominatus cf. Her. VI 71. Λεοντίσκος Ptolemaei Lagi filius Ath. XIII 5, 76. Μελίσκος cf. supra. Μυίσκος Pol. V 82, 13. Σωφρονίσκος pater Socratis. Τριποδίσκος Paus. 1, 43, 7 quem Megarici agri locum alii Τριποδίσκη vocasse dicuntur cf. supra. De Δορίσκος cf. supra.

Appellativa sunt haec:

ἀβακίσκος tabula tessellata. Moschion ap. Ath. IV 207[e] et per ὁμωνυμίαν pavimentum vermiculatum. Eust. 1947, 64 ἀβακίσκος μικρὸς ἄβαξ καὶ ὅτι καὶ τὰ πλινθία λιθόστρωτα ἐδάφη ἀβακίσκος λέγονται.

ἀγκωνίσκος instrumentum quod ad quaestiones tormentis habendas usurpari dicit Suidas cf. Steph. L. Gr. thes.

ἀλεκτορίσκος gallus pusillus. Babr. fab. 5, 1 et 97, 9.

ἀμητίσκος placentula Ath. XIV 644.

ἀστερίσκος stellula in Callimachi fragmentis a Diogene Laert. I p. 23 citatum. signum illud criticorum a grammaticis inventum. Diog. L. III 66. Eust. 599. 34. 16. 27, 59, de quo etiam refert schol. Ar. Plut. 250 μεθ᾽ ὧν ἐστὶ καὶ ὁ ἀστερίσκος, οὗ τὸ σχῆμα ἀστέρι ἔοικεν cf. Hephaest. p. 74.

δελφινίσκος μικρὸς Arist. H. A. IX 35, 1.

ἱερακίσκος accipiter parvus Ar. Av. 1112.

κιονίσκος columella Ath. XII 514[e].

κρατηρίσκος parvus crater Ath. XI 479[e].

κρωμακίσκος cf. supra.

μειρακίσκος vide supra.

παιδίσκος cf. supra.

πινακίσκος patella sive scutella ut ἰχθυηρός Ar. Plut. 814 cf. Poll. X 63, ut ἐπὶ πινακίσκοις Ath. III 75[d], unde π. ἄπυρος Bekk. An. 14, 22 et inde πινακίσκιον Antiphanes ap. Atheu. XI 487[e]. XV 666[f]. schol. ad Luc. t. V p. 181 Hemst.

σφηκίσκος vespae aculeo similis sudes, quae acuta imminebat curiam introeuntibus, ut suum quisque agnosceret tribunal. cf. schol. Ar. Plut. 301. Eust. 897, 58 σφηκίσκος ξύλον τι μικρὸν εἰς ὀξὺ συνηγμένον. Poll. V 89, 6. E. M. s. v.

σφηνίσκος cuneolus Hipp. I 465 Foes.

σωληνίσκος quo vocabulo in schol. Ven. XVIII 407 κάλυξ explicatur.

τριποδίσκος, parvus tripes Strab. t. I p. 253 Tzsch. et inde aucta deminutione τριποδίσκιον, qua vocula in B. A. 404, 19 ἀνθράκιον, foculus, explanatur. illud praeterea citavit Suidas ex Aristophane.

χηνίσκος puppis ornamentum incurvo anseris collo simile. cf. Eust. 667, 15. Lucian. ver. h. 2, 41. Iup. conf. 47. Nav. 5.

χιτωνίσκος tunicula, mulierum dicitur vestimentum ab Eust. 1166, 51 et schol. Ar. Av. 346. contra de viro Plat. leg. XII 91. Luc. Amor. 44 et alibi. inde χιτωνίσκιον Osann. syll. inscr. I p. 79 et χιτωνισκάριον de quo infra in catalogo dem. in -αριον cadentium. sunt denique quae in -ισκιον desinentia non habeant simpliciorem aut in -ισκος aut in -ισκη exeuntem formam, ut γυναικίσκιον, muliercula, iuxta παιδίσκιον positum affertur ab Hesychio et ἐλεφαντίσκιον ap. Ael. H. A. VIII 27. sed ῥηματίσκιον verbulum ap. Plat. Theaet. 180[a] et μελίσκιον cantiuncula Antiphan. ap. Ath. X 446 et cuius primitivum secundae est flexionis κανίσκιον sportula ap. Ath. VI 229[b] cf. Poll. VII 176, hanc formam suis videntur debere primitivis.

Commune denique, quo haec deminutiva tenentur, vinculum est significationis, qua hac terminatione concreta potestas significari solet, unde, ut exemplo utar, vocula κυκλίσκος non *orbiculus* significatur, sed ei forma similis *pilula*, atque si quis λογίσκος diceret pro λογίδιον sive λογάριον, a communi Graecorum dicendi usu ac consuetudine aberraret.

X.
DE DEMINUTIVIS IN -APION TERMINATIS.

Haec terminatio insignia maxime fecit nomina, quod — quae est ceterorum deminutivorum proprietas, qua propter similitudinem quandam, quae cum aliis vocibus intercederet, per hypercorismum derivata vocabula ad alias a primitivis remotiores transferrentur significationes — unam sibi solam deminutionis vim ac potestatem reservavit. fecit ergo contra normam Atticorum usu comprobatam qui instrumentum illud musicum quo vel cantores vel oratores vocem modularentur, τονάριον vocavit cf. E. M. s. v. neque μοτάριον instrumentum quoddam chirurgicum a Suida in medio propositum, a μοτά, *linamenta carpta*, repetendum ullus vegetioris aetatis scriptor usurpavit satisque habet excusationis ὠτάριον, si, cum Ἀφροδίτης οὖς valuerit *concha marina*, ab Aeolensibus eaedem conchae ὠτάρια vocatae fuerint. at vero πλοιάριον, quod ut muliebre calceamentum ex Aristophane citavit Pollux VII 93, in huius poëtae reliquiis hac quidem denotatum significatione non invenitur; neque potest Hesychii interpretatio voculae ἱππάριον, ὄρνεόν ποιον, παραπλήσιον χηναλώπεκι ullius adhuc superstitis scriptoris auctoritate confirmari. hic tamen Atticis religiose servatus usus impedire non potuit, quin citerioris potissimum temporis scriptores, ut alia, ita haec etiam deminutiva primigeniorum instar nominum usurparent. hoc quidem in usu praeivisse dici possit Eupolis, si fidem habeamus Photio p. 271, 20 docenti eum poëtam μισθάριον dixisse τὸν μισθόν. ceterorum vero lexicographorum technicorumve nemo huius vocabuli abusum cum notaverit, illius Graeculi animadversio non tanti facienda videtur; neque quidquam ex Pollucis X 13 observatione: τὰ δὲ σκευάρια φίλον τοῖς κωμῳδοῖς καλεῖν coniectari potest, quamvis sit concedendum, in horum deminutivorum usu Atticos quidem cautionem quandam adhibuisse; id quod intellegitur cum ex aliis veterum technicorum observationibus, tum ex grammatici nescio cuius adnotamento in B. A. 104, 30 κυνάρια καὶ κυνίδια δόκιμα. etenim gratum fuisse recentioribus Graecis hunc hypocorismum licet videre non modo ex citeriorum scriptorum haec pro primitivis venditantium usu, veluti κερατάριον in citeriorum Graecorum usum venit pro κεραία cf. Eust. p. 1037, 35. in M. Antonini comm. haec copia invenitur: ἀνθρωπάριον, βωλάριον, γυναικάριον, δοξάριον, ἱππάριον, κλινάριον, λογάριον, μυξάριον, ὀστάριον, σπογγάριον, στρουθάριον, φυτάριον, ψυχάριον, sed etiam ex veterum technicorum glossis. sic legimus in B. A. III p. 1186 ἀτταγᾶς δέ ἐστι τὸ ἀτταγινάριον (scr. ἀτταγηνάριον) et in schol. Ven. ad Il. II 142 παραγναθίδιον τὸ νῦν χαλινάριον καλούμενον. ad Il. I 65 λεπτότερος γάρ ἐστιν ὁ ἐπίπλους (κνίσης) τουτέστιν τὸ λεγόμενον κνισάριον (cf. E. M. 522, 26). atque enervatae iam orationis aetate Graeculi isti cum Romanorum vocabula ita Graece exprimerent, ea ipsa sibi peregrina nomina perspicuo magis saepe insigniebant hypocorismo, ut Horat. sat. 2, 3, 155 *ptisanarium* et Suidas πολτάριον puls σεμίδαλιν interpretando, Hesychius φυκάριον, *fucus* s. v. *Αφυκα. σελλάρια in A. B. 469, 23 et Hes. σκουτά-

ριον scutum quo ἀσπιδίσκην explicatur, M. Ant. 7, 3 σιγιλλάρια, Plut. Cat. mai. 4 ἀσσάριον atque ipsius primitivi genere mutato δηνάριον Plutarchus. unde quasi suum esset, non verebantur dicere μιλιάριον[66]) aeque ac σουδάριον in N. T. hoc vero in scena seu ab Epicharmo seu ab Hermippo positum, cf. Mein. Com. frgm. II 1 p. 46, velut vernaculum verbum prostat; at σκινδάριον Anaxandridis ap. Ath. III 105ᶠ, σισάριον à Poll. V 101, Hesychio, Photio in medio propositum et quod Boeotorum fertur voc. μνάριον ab Hesychio τὸ καλύντρον explicatum, quamvis in proclivi sit emendare μναδάριον (cf. B. A. I p. 108), quae tamen correctio illo Hesychii glossemate eluditur et τανθάριον ab eodem Hesychio ἐρύθημα significatum, unde orta fuerint, prorsus est in obscuro. at σκάριον, navigiolum, decurtatum ex ἐσχάριον cf. Eust. 1575, 46, huius non est dicionis.

His autem deminutivis prae ceteris plerumque adiunctam fuisse contemptus notam iam observavit H. Stephanus. cf. Spohn. de extr. Od. parte p. 131. sic ψυχάριον apud Plat. Theaet. 195ᵃ. rep. VII 519ᵃ, etsi in aliis huiusmodi voculis e re nata nihil nisi deminutio expressa videtur, ut ap. Dem. c. Nicostr. 1252 τὸν μὲν Κέρδωνα ἐκ μικροῦ παιδαρίου[67]) ἐξεθρέψατο, ita ut inde natum παιδαριώδης aeque ac μειρακιώδης deminutivorum naturam eruperit. eodem modo χιτωνάριον cum muliebre dicitur vestimentum, certam sibi iam assumpsit significationem. cf. Eust. 1166, 55.

Quod ad horum deminutivorum formam attinet, certa quidem regula, qua a casu genitivo oriantur, migrata videtur syncope quam pauca experta sunt, ut blanda illa alloquia, ὦ φιλοτάριον s. φιλοττάριον, quae in brevius contracta vocula eadem declaratur ratione atque ἀπφάριον recens natum cf. Clearch. ap. Ath. 269ᵉ. Eust. 856, 4. deinde κηθάριον (Ar. Vesp. 674) quod tamen uti κηθίον ab exauctorato nomine, cognato illo cum vulgari κημός repeti potest. at ἐνωτάριον et ὀστάριον in quorum forma vocales ι et ε subtractae sunt, recentiorum demum Graecorum usu innotuerunt. pariter quae duplici hypocorismo auctae fuerunt voculae in forma vocalis ι iacturam fecisse cernuntur, ut βιβλιδάριον, βοιδάριον, ζωδάριον, ἱματιδάριον, κωδάριον, ῥοιδάριον, σηπιδάριον, χρυσιδάριον, de quibus infra.

Ceterum omnes nominum flexiones hoc exsignatae reperiuntur hypocorismo, praeter quae in -μα cadunt nomina verbalia. namque γραμμάριον a γραμμή est et Θαυμάριον a Θαυμαρία, velut promontorium illud Σκανδάριον a Σκανδαρία.

Illud postremo Herodiani de dichr. p. 191 praeceptum: τὰ διὰ τοῦ -αριον ὑποκοριστικὰ συστέλλει τὸ α, ἱππάριον, φυτάριον cf. Arcad. p. 159 Bark. uno οἰνάριον ab Alexide (Ath. I 28ᵉ et II 75ᵈ) bis producto violatur, quod tamen Poliuchus ib. II 60ᵈ usum communem secutus corripuit.

66) hoc vocabulum, quod et ipsum significat *vas aëneum*, unde sit profectum a nullodum est explicatum. 67) huius vocis cum sexus distinguebatur, addi solebat, quo agnosceretur sexus, adiectivum, ut παιδάριον ἄρρεν Plut. Alc. 23.

Horum iam deminutivorum usus quo facilius cognoscatur, ex primitivorum unde ea enascuntur declinationibus eius generis propagines prolaturi sumus.

Meretricum nomina sunt Ξανθάριον A. P. IX 570. Τιμάριον ib. V 69. Ναννάριον Ath. XIII 587[e]. Δημάριον, Μουcάριον Luc. d. mer. 7. Χρυcάριον ib. 11. his adde Ἐρωτάριον parvus Cupido Luc. A. P. XI 174.

Appellativa primae flexionis:

γυπάρια, vulturum caveae (Ar. Eq. 792), quo minus a γύψ repetatur, significatione impeditur, unde emendandus Hesychius: γυπάρια, γῦπες.

δοξάριον gloriola. Isocr. ep. 10 τὸ κενὸν δ.· item Luc. dial. mer. (15, 2) p. 400 ἀγνοῶν τὸ δύcτηνον ἐκεῖνο δοξάριον. cf. Cyrilli lex. Suid.

δουλάριον, servula Lucian. Lex. 25 δουλάρια τὰ θήλεα καλοῦcι cf. Ar. Thesm. 537. Metagenes ap. Poll. III 75.

ζωνάριον Herodian. Epimer. p. 41 ed. Bekk. E. M. 730, 56 ubi eo voc. cτρόφιον explicatur.

κλινάριον lectulus Ar. ap. Poll. X 32. An. B. 104, 28.

κογχάριον conchula Strab. t. VI p. 368 Tzsch.

λογχάριον hastula. Posid. phil. ap. Ath. IV 176[b].

λυχνιτάριον sine glossa apud Suidam. in proclivi est addere: λυχνίτης λίθος.

μαννάριον matercula, i. q. μαμμάριον Luc. dial. mer. 6.

μυcτιλάριον qua vocula κοχλιάριον designatur a Poll. VI 87 cf. Lob. ad Phryn. p. 321.

νηττάριον anaticula Ar. Plut. 1011 cf. Phavor. s. v. ὑποκορίζομαι. Nicostratus vel Philetaerus ap. Ath. II 65[d].

πελτάριον clipeolum. Ath. V 200[f]. Luc. M. D. 24, 2. Bacch. 1.

ῥιζάρια radiculae ap. Hes. s. v. βρεντικά. cμιλάριον scalpellum. in Cyrilli lex. ἐντομίδες, cμιλάριον (scr. cμιλάρια) ψελίδια cf. Suid.

φωνάριον vocula Clearch. ap. Ath. XIV 623. A. P. V 132 φ. ᾠδικόν Poll. IV 54.

χορδαρίου τόμος Alexis ap. Ath. III 95[a].

ψυχάριον vide supra.

ψηττάριον ex emendatione Lobeckii ad Phryn. p. 74 pro ψηττάδιον. cf. Anax. Ath. III 105[f]. horum etiam est παιδιcκάριον a παιδίcκη repetendum cf. Clem. Alex. t. I p. 64 παιδιcκάριον τὸ κοράcιον ἐπὶ τῆc ἡλικίαc unde Posid. ap. Ath. V 211 γήμαc παιδιcκάριον εὔμορφον. cf. D. L. VI 32 Meib. Hemsterh. ad Luc. D. M. 27, 7 et p. 196.

Secundae flexionis:

ἀνθρωπάριον homullus Ar. Plut. 416. ἀνθρ. μικρά Ath. XII 518[e].

βιβλάριον commemoratur a Poll. VI 210 eo in ordine quo eius deminutiva vis cognoscitur: βίβλοc, βιβλίον, βιβλάριον. παρὰ δὲ Ἀριcτοφάνει βιβλιδάριον. illo cum contemptu usus est Lucillius A. P. XI 78 cητοκόπων βιβλαρίων.

βωλάριον glebula. Strab. t. I p. 391. VI p. 433 Tzsch.

δειπνάριον cenula. Diphilus apud Ath. IV 156ᶠ. Lucill. A. P. XI 10.

δελτάριον labella. Polyb. XXIX 11, 2. Plut. Anton. 58. Cat. min. 24.

διcκάριον Hesych. κανοῦν, κανίcκιον, διcκάριον.

ἐνωτάρια inaures, de cuius formae anomalia cf. p. 212, ab Hesychio cum βοτρύδιον a similitudine comparatum.

ἠθμάριον cribellum ab Hes. διολυcτήριον explicatum.

ἱππάριον frequenti usu notum. cf. Xen. Cyr. 1, 4, 19 μικρὰ ἱπ. Str. t. IV p. 431 Tzsch. φαύλοις ἱπ. Plut. Philop. 7.

κηθάριον phimus cf. Hes. Ath. XI 477ᵈ. de eius forma vide p. 212.

κοντάρια, κάμακες Hes. κοντάριον hastula schol. Opp. Hal. 2, 25 qui et ipse κονταριοθήκη per parathesin dicere ausus est.

κοcμάριον quod Hesychius cκεῦοc τραγικόν declarat, saepe a citerioris temporis scriptoribus primitivi loco usurpatur, ut ab Athenaeo XI 474ᵉ qui cum aliquod vocabulum interpretatur, dicit: κοcμάριόν τι γυναικεῖον.

κοcτάρια piper condimento nescio quo apparatum Strab. t. VI p. 461 Tzsch. pro quo in cod. Ven. 1 scriptum est κοcτώρια.

κωθάριον Anaxand. ap. Ath. 105ᶠ. cf. supra.

ληδάριον Ar. Av. 715. 915 quod in E. M. ἱμάτιον simpliciter declaratur, ab Aristophane l. c. a χλαῖνα distinctum. Pollux VII 48 κοινὰ δὲ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν λῆδος (sic!) λήδιον, ληδάριον cf. supra.

λινάρια reticula venatoria Eust. 1542, 51.

λογάριον. Suidas quidem λογάρια οἱ λόγοι. Ἀριcτοφάνηc, quod tamen neque apud Aristophanem invenitur neque apud eum quem Pollux II 122 attestatur Platonem, qui nimirum Phaedonem comicum in Bekk. An. p. 107 (cf. Mein. reliq. Men. p. 226) citatum cum illo Platonico Phaedone perperam confudit. hoc cum contemptu iactatum a Demosthene de falsa leg. 421 cὺ δ' (Αἰcχίνη) — λογάρια δύcτηνα μελετήcαc — cf. Ath. VI 270ᵈ. VIII 331ᵉ.

μιcθάριον mercedula Ar. Vesp. 300 Dind. Hipp. περὶ εὐcχ. 1, 26 Foes. cf. Eust. 1851, 24. Photius quidem 271, 20 ait pro primitivo id usurpasse Eupolin cf. supra; at non est alia huius usus auctoritas quam schol. Ar. Ran. 140 et poëtae cuiusdem A. P. XI 141.

μυθάριον fabella Strab. t. V p. 420. schol. Ar. Vesp. 1222.

μυξάρια ad verbum *prunula* a τὰ μύξα derivandum legitur ap. Diod. Sic. I c. 34, at μυξάριον pro primitivo usurpavit M. Antonin. Comm. 4, 48.

ξυλάριον stipes Ctesias in Persicis 121, idque vocabulum Hesychius πηχίcκοc explicat.

οἰκάριον gynaecei pars postica secundum Hesychium ad illud Lysiae ap. Poll. IX 39 ἀλλ' εἰc τὸ οἰκάριον τὸ ὄπιcθε τῆc γυναικωνίτιδοc respicientem.

οἰνάριον, de cuius irrationali secundae syllabae productione vide p. 248, contemptus fere sibi adiunxit vim, ut apud Dem. in Lacr. 933 οἰνάριον τὸ Κῷον. cf. Ath. III 119ᵈ εἰc τὸ καλούμενον ἀρτολάγανον ἐμβάλλεται οἰνάριον ὀλίγον καὶ πέπερι. Lynceus ib. VI 245ᵈ καὶ

τοῦ οἰναρίου ὑπολιπόντος, εἰσφέρειν ἐκέλευσεν —. indiscretum autem ad contemptionis notionem est ap. Lucill. A. P. XII 89 cum σιτάριον iunctum.

ὀνάριον asellus. Machon ap. Ath. XIII 282 [b].

ὀπλάριον non sine contemptu dictum a Plut. Flam. 17.

ὀστάριον elisa stirpis vocali ε ἀνομάλως formatum inferioris aetatis vocula, cf. Nicarch. A. P. XI 196 μικρὰ ὀστάρια. Poll. II 19.

ὀψάριον de pisce Plato comicus ap. Ath. IX 385 [e] contra Atticorum usum cf. A. B. 53, 5. hoc primitivi loco pro variis cibis usurpatum fuisse copiose probat Athenaeus l. c.

πλοιάριον navigiolum. Ar. Ran. 139. Xen. Hell. IV 5, 17. Menander ap. Ath. XIII 559, creberrime apud D. S.

πωλάριον pullus equinus Plat. ap. D. L. 5, 2. cf. schol. ad Ar. Vesp. 195.

σιτάριον pusillus cibus, ut Polyb. XVI 24 § 5 ποτὲ δὲ σιτάρια βραχέα παντελῶς. Lucill. A. P. XI 189 εἰς βραχὺ σιταρίου κέρμα καὶ οἰναρίου cf. Plut. sec. Epic. 15.

στιχάριον iuxta στιχίδιον positum explicatur a Suida ὁ μικρὸς στίχος.

σταμνάριον hirnula vinaria Eupol. ap. Poll. X 73. Ephipp. ap. Ath. I 29 [e].

στρουθάριον passerculus Eubul. ap. Ath. II 65 [e] ubi aliorum etiam comicorum auctoritates memorantur.

συκάρια ficulae ab Erot. lex Hipp. p. 246 ex Laconis Eupolidis fabula prolatum.

τοξάρια Luc. D. M. XIII 5.

φυτάρια plantulae Hegesander ap. Ath. V 210 [c].

χαλινάριον recentius vocabulum cf. p. 209.

χυλάριον succus pro primario Marc. Antonin. Comm. 6, 13.

ὠάρια Ephipp. ap. Ath. II 57 [e]. cf. Eust. 1321, 36. 1686, 48.

Id genus etiam est χιτωνισκάριον in lexicis vulgaribus praetermissum, ab Eust. 1166, 51 ὁ δὲ ἀνδρεῖος χιτωνίσκος, ὅ τινες ἐπενδύτην, τὸ δὲ βραχὺ χιτωνισκάριον in medio propositum.

Tertiae declinationis:

ἀνδράριον, homuncio ἀνδρ. μοχθηρά Ar. Av. 421 idemque voc. una cum ἀνδρίον affert Eust. 1680, 27.

ἀνδριαντάριον pupulus. schol. Luc. t. V 181 Hemst.

γυναικάριον muliercula, Clearchus ap. Antiatt. Bekk. 84. tum ex emendatione Meinekii ad Com. fragm. II 1 p. 409.

ζευγάριον, ingulum Ar. Av. 583 idemque a Stobaeo flor. p. 209 et p. 213 ed. Grot. citatum.

ἱμαντάρια rudentes ab Hesychio in medio propositum.

καριδάριον cammarus pusillus. Anax. ap. Ath. III 105 [f].

κλωνάριον surculus. Luc. D. mer. 5. schol. Ar. Thesm. 625.

κυνάριον catellus Phrynicho in eclogis improbatum, Platonis tamen Euthyd. 298 [d], Xen. Cyr. 84, 120, Theopompi aliorumque haud spernen-

dorum usu scriptorum celebratum. κ. Μελιταῖα Ath. XII 518[f] quae et ipsa non ita multo post κυνίδια dicuntur.

λεβητάριον aënulum Poll. X 93 et 165.

λεκάριον patella, Atticorum fuisse dicitur pro λεκάνιον cf. p. 211. λ. πτισάνης Herm. ap. Ath. IV 149[f] cf. Poll. VI 86.

ὀρνιθάριον avicula D. S. XIII 82. Nicostr. ap. Ath. 654[b].

παιδάριον. π. τὰ μείζονα καὶ τὰ ἀρτίως γεγονότα Suid. cf. Plat. Gorg. 485[b] etc.

πλακουντάρια placentulae. Strab. t. VI p. 582 Tzsch.

ποδάριον pediculus Alexis et Plat. com. ap. Poll. II 196. Ath. XIV 664[c].

σκευάριον varia supellex. hoc comicis maxime gratum fuisse probat Pollux X 13. cf. Mein. Com. fragm. II 1 p. 237 et schol. ad Plat. Alcib. I 322, 14.

σκυτάριον cuticula. Anaxilas Lyr. ap. Ath. XII 548[e] ἐν σκυταρίοις ῥαπτοῖσι φορῶν.

τριβωνάριον palliolum. Clearch. ap. Ath. VI 258[a] ubi tamen tres codd. pro τριβωναρίοις τριβωνίοις praestant.

χηνάριον saepe recurrit in veteribus lexicis.

χιτωνάριον tunicula Lucill. A. P. XI 154.

Duplici hypocorismo affecta eaque syncopata sunt haec:

βιβλιδάριον Ar. ap. Poll. VI 210.

βοιδάριον bucula Ar. Av. 585 idemque citatur ab Ammonio p. 149 in χόλικες.

ζωδάριον animalculum in lexicis vulgaribus multis exemplis probatum.

ἱματιδάριον Aristoph. ab Aristotele rhet. III 2, 15 laudatus.

κωδάριον pellicula Cratin. ap. Poll. VII 28 cf. Mein. Com. fragm. II 1 p. 41. Plut. Brut. 58.

κωβιδάριον cf. p. 236.

ῥοιδάριον saepius legitur in veteribus lexicis.

σηπιδάριον Poll. VI 47.

χηνάριον prostat in veteribus lexicis.

χρυσιδάριον Aristoph. citatus ab Aristotele rhet. III 2, 15.

XI.

DE DEMINUTIVIS IN -ΥΔΡΙΟΝ TERMINATIS.

Hac terminatione deminutiva insignita inveniuntur non modo virilia, ut ξενύδριον Men. ap. Ath. IV 132[e]. λογύδριον Isaeus Sic. ap. B. A. 1395. cf. Suid. s. v., sed etiam muliebria nomina, ut νησύδριον Xen. Hell. VI 1, 4. Isocr. Paneg. 276, 20, 14 κωμύδριον τὸ μικρὸν χωρίον ap. Suid. cf. Zon. p. 1277. σκηνύδριον Plut. Mar. 37. τεχνύδριον Plat. rep. V 475[e]. χερύδριον Mosch. 1, 13. πολιύδρια qua vocula πόλις (scr. πόλεις) explicatur ab. Hes. cf. Spohn. de extr. p. Od. p. 132. cetera cum primitivis genere congruunt, ut ἑλκύδριον Ar. Eq. 907. μελύδριον Ar. Eccl. 883. Theocr. VII 51. Bion. 5, 2. recentiorum scriptorum Arriani et Epicteti est σκελύδριον. at ξιφύδριον num fuerit

gladiolus, dubium est. nam ξιφύδρια sive σκιφύδρια (cf. Maitt. de dial. dor. p. 149) ap. Hes. est εἶδος κοχλίου quo secundum Ath. III 85[d] Epicharmus usus fuisse fertur. cf. Lobeck. proleg. p. 401. denique Arcadiae urbis nomen Μεθύδριον unde trahendum sit aeque apertum videtur atque Λειψύδριον a loco aquae egeno.

XII.
DE DEMINUTIVIS IN -ΥΛΛΙΟΝ.

Numero quinque in hanc terminationem exeuntia invenimus deminutiva, unum a virili nomine ortum ξενύλλιον ap. Ar. Poll. X 55. cf. Plut. Lacon. apopth. p. 228; item unum a muliebri μειρακύλλιον Ar. Ran. 89. Dem. c. Mid. 539[c]. Aristocr. 674. Eubul. ap. Ath. VI 262[d], cf. Poll. II 9; cetera a neutris: ἐπύλλιον Ar. Ran. 942, cf. E. M. 368, 8 et alibi creberrime; ἀνθύλλιον M. Anton. comm. IV 20; βρεφύλλιον ap. Luc. dial. mer. 9 cet. aucta deminutione formatum est Πριαμυλλίδιον, cf. p. 247. unum vero quod Suidas citat s. v. ξυστόν, δορύλλιον, e breviore forma δορός ortum non videtur in communem venisse usum. verum μάτρύλλιον corruptum est ex ματρυλλεῖον, v. Hes. Poll. VI 188. cf. p. 194.

XIII.
DE DEMINUTIVIS IN -ΥΛΛΟΣ -ΥΛΛΑ -ΥΛΛΙΣ -ΥΛΟΣ -ΥΛΗ -ΥΛΙΣ.

Herodianus in E. M. s. v. Ἀρίστυλλος hoc per deminutionem ortum esse ait ab Ἀριστοκλῆς ut Ἥρυλλος ab Ἡρακλῆς, Θράσυλλος a Θρασυκλῆς[68]) non semel variatum nomine Θρασύλος, cf. Aesch. c. Tim. 142 (Sturz. lex. Xen. s. v.), interprett. ad Greg. Cor. p. 281. pariter Βάθυλλος cf. E. M. 95, 22. Eust. 889, 49. horum vero nominum quamvis a deminutionis notione repetendorum usus adeo percrebuit, ut nomina inprimis propria sine ulla deminutionis vi sic formata videantur, ut Ἄντυλλος, Βράχυλλος, Γέρυλλος, Διάμυλλος, Δίυλλος, Δέρκυλλος et Δερκύλος (cf. Aeschin. Ar. Vesp. 78), Ἵππυλλος (Ar.), Μίκυλλος (Luc.) et Μικύλος ad adiectivi formam A. P. VII 460. Ξένυλλος, Θέστυλλος, cuius femininum Θεστυλίς s. Θέστυλις (Theocr.), Πόλλυλλος A. P., Μένυλλος, Πίθυλλος, Σάβυλλος (Her.), Φάνυλλος, Φάϋλλος. cf. Lob. path. I p. 127.

Raro videntur Doriensium more ita deminuta fuisse adiectiva, ut καθάρυλλος Plat. com. ap. Ath. III 110[d] et adverbium καθαρύλλως Cratin. ap. Athen. IX 396. sed ἕρπυλλος s. ἕρπυλος, βήρυλλος, κήρυλλος vel κηρύλος sive κειρύλος cf. schol. Lycophr. v. 370. schol. Theocr. VII 57. Eust. 376, 39, non sunt deminutiva. muliebris sexus sunt Σίβυλλα non semel Σιβύλλα perperam scriptum, cf. Bekk. ad Plat. Phaedr. 26, 4, Ἀρίστυλλα, Φθίνυλλα, Ξένυλλα, Κτήσυλλα, Νίκυλλα, Μνάσυλλα, Ἄνθυλλα et per term. -ις Στρατυλλίς, Ἀμαρυλλίς, Δερ-

68) Θρασικλῆς ap. Aesch. c. Ctes. 69, 39.

κυλλίϲ A. P. V 95 et ipsum Δερκυλίϲ scriptum. tum Γενετυλλίϲ cognomentum Veneris. postremo appellativorum nominum huc pertinent ματύλλη quod Pollux VI 70 deminutivum vocis ματτύη appellat, et cηκύλλη sive cηκύλη quod Aeolicum non diversum fuisse dicitur a cηκίϲ cf. Phot. et Suid. tum per metonymiam translata videntur a primitivis suis γηθυλλίϲ cf. Moeris s. v. ἀκανθυλλίϲ, Aristot. H. A. 805. πτερυλλίδεϲ sive locustae sive avicularum genus a Boeotiis nominatum cf. schol. ad Ar. Ach. 871. denique ἀτρακτυλλίϲ s. ἀτρακτυλίϲ carduo similis planta ab ἄτρακτοϲ nominata cf. Epich. ap. Ath. II fin. schol. ad Theocr. IV 12, Theophr. H. pl. VI 4 p. 814. horum nominum agmen secuntur deminutiva in -υλοϲ desinentia eo maxime insignia, quod etiam adiectiva quae ab Atticis quidem non deminuebantur, a Doriensibus deminutionis caussa ita flexa dicuntur: cf. Hemsterh. ad Ar. Plut. 336, interprett. ad Greg. Cor. p. 281: μικκύλα — χερύδρια ap. Mosch. 1, 15 cf. E. M. 587, 45. δριμύλα — ὄμματα ap. eundem 1, 8. omnis vero deminutionis expertia sunt αἱμύλοϲ[69]), καμπύλοϲ, cτωμύλοϲ et illud Homericum diverso accentu scriptum αἴcυλα. nam de stabili illorum vocabulorum accentu exposuit Arcad. p. 16, 4. 78, 7 ed. Bark. antepaenultima cum brevis sit, haud dubie corruptum est Virgilii ecl. VI 13 *Mnasȳlus* ex Mnasyllus, veluti Μνάcυλλα A. P. VII 730.

Nomina appellativa ita declinata sunt: ἐρωτύλοϲ cf. Apoll. Al. ap. Bekk. An. t. II p. 563 qui cum eo Ἡδύλοϲ confert. deinde ἀρκτύλοι, ursuli, a Polluce V 15 in medium prolatum, idem quod ἄρκτιλοι[70]), quod tamen Phavorinus τράγοι explicat, tum ἐρίθυλοϲ (hoc accentu) quam avem vulgo ἐρίθακοϲ vocatam fuisse ait schol. ad Ar. Vesp. 302. eandem formam refert κόνδυλοϲ a κόνδοϲ, ut videtur, repetendum, quod Hesychius κεραία, ἀcτράγαλοϲ declarat, haud dubie cognatum cum cφόνδυλοϲ s. cπόνδυλοϲ. nemo vero hic desiderabit ὀcμύλοϲ, πίτυλοι, ἀρβύλαι, cui voci sunt qui ideo deminutivam attribuant significationem, quod ita dicti fuerint calcei propter habilem levitatem venatorii.

Nominum autem propriorum quae in hanc exeunt terminationem, deminutio utrum ab ipsa terminatione sit repetenda, an ab universo nomine, quaeri potest. namque Χρημύλοϲ, quod schol. Ar. Plut. 336 pro deminutivo exempli caussa affert, deminutivam potestatem etiam ipsi corpori unde ortum est acceptam referre potest. magna est enim eorum nominum Graeco sermone divulgatorum, quibus nulla omnino adhaeret deminutio, copia, ut Αἰcχύλοϲ, Ἀρχύλοϲ[71]), Ἀcτύλοϲ, Δημύλοϲ, Γοργύλοϲ, Καcμύλοϲ, Κρατύλοϲ, Κρωβύλοϲ[72]), Ἡδύλοϲ, Ἡγύλοϲ, Θαρcύλοϲ i. q. Θραcύλοϲ s. Θράcυλλοϲ, Μειδύλοϲ, Πενθύλοϲ, Πομπύλοϲ, Πρατύλοϲ, Πραῦλοϲ, Ῥωμύλοϲ, Cιμύλοϲ, Τερτύλοϲ, Χαρμύλοϲ. cf. Lob. path. I p. 125.

---

69) in E. M. p. 32 ὑποκοριcτικόν nominatum. 70) hoc non differre ab ἄρκιλοι ait Eust. de quo suo loco dicetur infra. 71) Ἄρχυλοϲ perperam scriptum in D. S. XIV 52 ed. Schwgh. 72) paroxyt. script. legitur ap. Ar. Vesp. 1286. Thuc. 1, 6. Plut. Demet. 17. proparoxyt. ap. Aesch. c. Tim. 9, 30. c. Ctes. 70, 15.

Homericum vero Ἴτυλος quod sunt qui ab Ἴτυς per deminutionem[73]) repetant, deinde Ὄξυλος, Οἴτυλος, Κότυλος suo accentu sunt ab illis diversa. huius terminationis femininum Φειδύλη est. tum appellativum σηκύλη s. σηκύλλη supra commemoratum et Θέστυλις servae nomen apud Theocritum peculiaris hypocorismi exempla vix possunt sisti.

XIV.

DE NOMINUM IN -ΑΛΟϹ -ΑΛΛΟϹ -ΕΛΛΟϹ -ΙΛΟϹ -ΙΛΛΟϹ- ΙΛΑ CADENTIUM HYPOCORISMO.

Num declinata fuerint in -αλος deminutiva, admodum dubium est, cum quod a Spohnio l. l. p. 124 affertur, κόκκαλος a Galeno quidem in Gloss. Hippocr. p. 504 deminutivis adscriptum, syllabae auctae formam aperte prae se ferat. huius enim syllabae, qua stirpis corpus corroborabatur, formativae — quae formandi ratio a veteribus technicis πλεονασμός vocitabatur — exempla praebet iam Homerus in κονίσαλος, κνώδαλα cf. supra et plurima, posterior aetas ut κρόταλον, ὀβρίκαλα, πηδάλιον, σπαθάλιον, κρύσταλλος, τροφαλίς. ergo non deminutionis caussa haec terminatio affixa est simplicioribus stirpibus θρυαλλίς, quod sunt qui deminutivum dicant, συκαλίς s. συκαλλίς, δορκαλίς, κορυδαλλίς cf. schol. Ar. Vesp. 428. schol. Plat. Euth. 431. Χρυσαλλίς cf. Aristot. H. A. V 10. πυραλίς s. πυῤῥαλίς. pariter videtur Βάταλος ortum esse a verbo βάζειν aeque atque κόβαλοι[74]) a κόπτειν cf. schol. ad Eur. Hec. 129. neque quicquam certi constitui potest de obsceno illo Doriensium vocabulo δορίαλλος sive quod alii pro eo substituunt aut δόρυλλος aut δόριλλος cf. Bernh. ad Suid. s. v. Lob. proleg. 108. 109. terminationis deinceps -ελλος unum quidem exemplum tuetur Strabo t. II p. 207 Tzsch. Σαβέλλος dicens ὑποκοριστικῶς esse formatum. at non deminutiva videtur esse haec syllaba, non magis quam in Μύσκελλος (Str. t. II p. 201), Πρέπελλος (D. S. XIX 64), Σθένελος, Κύψελος.

Iam quaerendum est de hypocorismo qui terminatione -ιλος expressus fuisse dicitur. quod affert Eustath. 1535, 25 ἄρκιλοι i. q. ἄρκτιλοι ab aliis ἀρκτύλοι per υ scriptum fuisse supra diximus. eandem deminutivi formam habere ὀρχίλος asseverat Spohnius l. l. p. 122, cuius tamen primitivum prorsus ignoratur. neque πομπίλος piscis quidam marinus (Athen. VII 283ᵃ. schol. Il. XVI 407) neque σχοίνιλος i. q. σχοινίων cf. infra (Arist. H. A. VIII 5, 7) avis a scirpo ubi nidulatur nominata, neque αἴγιλος, quam herbam caprae depascunt (Theocr. V 128) neque δείσιλος nullo dum scriptoris usu testatum, quod Hesychius δεινός interpretatur, licet ad simpliciora se patiantur referri vocabula, pro proprio huius terminationis hypocorismo certant. hic vero formationis

73) Matth. gramm. I p. 217. 74) schol. ad Ar. Plut. 279: κόβαλοι δαίμονές εἰσί τινες σκληροὶ περὶ τὸν Διόνυσον ἀπατεῶνα. unde Demosthenes nomen Βάταλος tulerit, veteribus non constitisse videas ex Plut. Dem. 4. cf. Aesch. adv. Timarch. p. 18 ἐξ ἀνανδρίας καὶ κιναιδίας ἐνεγκάμενος τοὔνομα. cf. id. de fals. leg. p. 273 ἐν παισὶ μὲν γὰρ ὢν ἐκλήθη δι' αἰσχρουργίαν ἢ κιναιδίαν Βάταλος. cf. Dem. pro cor. 180.

modus videtur fuisse Dorieniun vel Aeolensium. sic Laconum fertur ὀπτίλος pro ὀφθαλμός cf. interprett. ad Greg. Cor. 580. Atticorum sunt κωτίλος, ὀργίλος, τροχίλος non stabili ubique in libris denotata accentu. nominum eius generis propriorum sunt Θυμίλος, Χοιρίλος, Ζωίλος, Κυρσίλος, Τρωΐλος, quorum aliquot accentu variantur, ut Τρόχιλος apud Paus. 1, 14, 2. deinde quae futuri formam referunt: Τάξιλος, Ὀνήσιλος, Σώσιλος et quod varie scribitur Μυρτίλος, Μύρτιλος, Μύρσιλος, Μυρσῖλος cf. interprett. Her. I 7. horum nonnulla pars ex terminatione -λαος contracta dicitur, ut Χάριλλος ex Χαρίλαος.

Duplici liquida distincta nomina quae dicuntur appellativa non exstant; propria multa, ut Μέγιλλος, Τήριλλος, Πέριλλος, Κύριλλος accentu in secunda syllaba identidem signata, pariter ac muliebria Χρύσιλλα, Πράξιλλα, Τελέσιλλα, Κύδιλλα, Μέγιλλα, Γέμιλλα, alia.

XV.
DE NOMINUM IN -ΙΝΟϹ -ΙΝΗ -ΙΝΗϹ DESINENTIUM NATURA.

De eius terminationis proprietate scite disseruit Plutarchus Mar. 1: τοῦτο δὲ προσηγορικὸν ἐξ ἐπιθέτου πρὸς τὰς φύσεις ἢ τὰς πράξεις ἢ τὰ τοῦ σώματος εἴδη καὶ πάθη τίθεσθαι, τὸν Μακρῖνον κτλ. cuius rei rationem idem reddit Ages. 36, ubi qui Anticrate Epaminondae interfectore essent oriundi, Μαχαιρίωνας vocatos fuisse tradit. inde igitur ex terminatione quidem nihil deminutionis quaeri potest, quam in nominibus propriis Φιλῖνος, Κρατῖνος, Ἐχῖνος inesse contendit Arcadius p. 65, 20 cf. E. M. 793, 50. atque iam veteres technographos de quodam piscium genere disceptasse, quomodo inter sese differrent κέφαλος et κεφαλῖνος, μύξοι et μυξῖνοι, testatur Dorion apud Athenaeum VII 330[b]. secundum Suidam dubium est discrimen inter κεστρῖνος[75]) et κεστρεύς, cuius generis pisces inter se differre negat Eustathius 1642, 61. hinc patent nominum γυρῖνος cf. Lob. proleg. 211, κορακῖνος[76]) denominationes. huic accentui obnititur φόξινος ap. Arist. H. A. 6, 13, 14. ceterum videtur ea terminatio labentis Graecitatis tempore extra piscium nomina formationis caussa vocum quarundam stirpibus affixa fuisse, ut γελασῖνος ap. Ael. V. H. 4, 20 et γελασίνη Anax. Bekk. An. 87, 23. id genus sunt γελωτῖνος, καταγέλαστος et λασῖνος, ἄφρων, ἐπιλήσμων apud Hesychium. fuisse denique quae nomina ex pleniore forma -ινους in -ινος decurtarentur, ut Πασῖνος ex Πασίνους, non satis est compertum. muliebrem sexum indicans est Ἑκαλίνη, quod Plutarchus Thes. 14 deminutivum esse ait vocis Ἑκάλη, cui similia videntur Κοκκαλίνη ap. Dem. Neaer. 1356. Μυῤῥίνη ap. Thuc. VI 55. Φιλίνη ap. Theocr. epigr. 21, pro quo Aristophanes aliique Φιλίννη cf. Mein. fragm. Com. II 2

75) nomen proprium Κέστρινος accentu in tertia ab extrema syllaba scriptum legitur ap. Paus. I 11, 1. 76) cf. Phot. Ael. H. A. XIV 23. 26. Artemid. II 14 p. 105.

p. 743. Doricam speciem habent et idem Φίλιννα et Ἤριννα, Κόριννα, Βίτιννα, Μέλιννα. cf. Lob. proleg. p. 222. hypocorismus denique -ινης probatur ab Eustathio 1729, 49 exemplo ὀρφίνης ὁ νέος ὀρφώς ὑπ' ἐνίων ὑποκοριστικῷ τύπῳ. similiter flexa videntur ἐλαφίνης ap. Hes., σπαθίνης ap. Hes. Eust. 711, 38. unum postremo Aristophanis adiectivum ὀξίνης a vappae austeritate ad hominis cuiusdam animum translatum Atticis peculiari huic hypocorismo vix suffragabitur: cf. Lob. proleg. p. 215.

XVI.

DE DEMINUTIVIS IN -ΑΦΙΟΝ -ΗΦΙΟΝ -ΥΦΙΟΝ -ΥΝΙΟΝ.

Hypocorismo -αφιον posterioris aetatis Graecos usos fuisse exemplis probat Spohnius p. 133 in medio proponens χωράφιον, ξυλάφιον, ξυράφιον cf. Eust. 152, 63. at σκιράφιον cf. Harpocr. s. v. σκιράφια corruptum est ex σκιραφεῖον, cf. p. 194 et Isocr. 7, 48. vetustioris autem fuit auctoritatis ξυλήφιον iam Hippocratis I 682 Foes. usu notum, cf. Athen. XII 568[d]. Polyb. VI 349, passim ξυλίφιον male scriptum. cf. Diod. Sic. IV 76 quod quo iure sec. E. M. vilius fuerit quam ξυλάριον et ξυλήριον[77]) non intellego.

Multo inferioris notae fuerunt deminutiva in -υφιον cadentia. ζωΰφιον Ath. V 210[c]. Paus. VI 26, 4 et saepe ap. schol. Luciani cf. t. VIII p. 16; tum δενδρύφιον Ant. comm. IV 20, quibus adde κερδύφιον, κωλύφιον, cf. Phryn. p. 77 Lob., a Spohnio citata. at ὀρνίφιον ap. Ael. H. A. IV 41 ex ὀρνιθύφιον syncopatum formae est inaequalitate insigne.

Terminationis -υνιον denique unum στηθύνιον est exemplum, et ab Eubulo (Ath. II 65[c]): — πάχεων ἀρνίων στηθύνια et ab Ephippo (Ath. IX 370[d]) usurpatum, cf. Poll. II 162 τῶν δὲ στηθῶν τὸ μέσον στηθύνιον, damnatum illud a Phrynicho p. 384. verum χελύνιον quod sunt qui ad hunc hypocorismum trahant, vocis χελύνη est deminutivum. postremo Λαγυνίων Damoclis parasiti nomen ap. Ath. XIII 584[f] non terminationi debet iocosam denominationem.

XVII.

DE DEMINUTIVIS IN -ΙΧΟϹ ET DE SYLLABA -ΙΧΡΟϹ FORMATIONIS CAUSSA PAUCORUM VOCABULORUM STIRPIBUS AFFIXA.

Terminatio -ιχος dem. in uno adiectivo ὄσσιχος (cf. Koen. ad Greg. Cor. p. 133) conspicua aut Aeolensium propria dicitur aut Doriensium. nam πύῤῥιχος (Theocr. 4, 20) dubiae maxime est explicationis. eum hypocorismum ex vulgari forma -ισκος ortum fuisse probari potest cum vocula Κάδδιχος, quam Hesychius reservavit, tum Aeolico ὕῤῥιχος i. e. ὑῤῥίσκος sive quod postea in usum venit σύριχος cf. Alex. ap. Ath. III 76[d]. IX 372, cuius loco Attici quidem loquebantur ἄῤῥιχος. cf. p. 248

77) cf. p. 201 not. 24. forsitan pro eo corrigendum sit ξυλήφιον. cf. Lob. ad Phryn. 78.

et Lob. path. I 337. alia omnino formae ratio videtur fuisse in iis vocibus, quarum genitivi Aeolensium more transibant in nominativorum formas, ut ὀρτάλιχος quod Blomf. ad Aesch. Ag. 54 deminutivum perperam dicit. cf. Ath. XIV 622ᵃ. Eust. 1625,48 Hes., unde Boeotl ita *gallum gallinaceum* nominare consuevere. cf. schol. Ar. Av. 836. eadem formae species aperta est in ἀρύστιχος quo ipse Aristophanes usus erat, cf. Ath. X 424ᶜ. XII 622ᵃ, neque repugnat ἄστριχος (cf. E. M. Hes. interprett. Poll. IX 99) cuius primitivum ἄστρις quomodo declinetur[78]) parum constat. huius autem generis num fuerit Atticum illud κόψιχος, in medio relinquimus.

Hanc denique in terminationem exeunt multa nomina propria: Ἀβρώνιχος (Thuc.), Ἀμύντιχος, Ἀπέλλιχος, Ἀσώπιχος Epaminondae amasius Ath. XIII 605ᵃ, Δόλιχος (hymn. Cor.), Θυώνιχος (Theocr.), Ἰάμβλιχος, Κόννιχος, Μόριχος, Μύῤῥιχος (Polyb.), Ὀλύμπιχος (Dem.), Οὐώνιχος (A. P.), Πέλιχος ὁ Κορίνθιος Luc. Philops. 19, Πέλλιχος Thuc. 1, 29 cf. Koen. ad Greg. Cor. l. l., Πόλλιχος Plut. Nic. 24, Πράνιχος poëta quidam Plut. Alex. 50, Πτόλιχος (Paus.), Στρόμβιχος Thuc. 1, 45, Σωτήριχος, Τυνδάριχος ὁ Σικυώνιος Ath. XIV 662ᶜ, Τύννιχος, Ὕλλιχος, Φρύνιχος, Ψαμμήτιχος.

Muliebria sunt Δεινίχα Archidami uxor (Paus.), Βιλιστίχη (Ath.). Συμμίχη (Luc.), Δωρίχη hetaera quaedam (Ath.).

Postremo hypocorismum -ιχρος a Fischero ad Welleri grammat. t. II p. 32 in medium prolatum neque πενιχρός iam Homeri usu nobilitatum neque μελιχρός quo in E. M. γλυκύς explicatur, praestat.

XVIII.

DE DEMINUTIVIS IN -ΚΝΗ -ΧΝΗ -ΚΝΙΣ -ΧΝΙΣ FLEXIS.

De harum terminationum parilitate recte statuit grammaticus quidam in E. M. s. v. κυλίχναι· λεκανίδες, τρύβλια ἢ φάλαι. λέγεται δὲ καὶ κυλίκναι κατὰ τροπὴν τοῦ χ εἰς κ. similiter Caninus Hellen. p. 231: ὑποκοριστικῶς δὲ λέγεται ἡ πιθάκνη κατὰ τὸ πολίχνη. nam pro σπυράχνιον apud Pollucem VII 147 corrigendum est σπυρίχνιον, quod et ipsum legitur apud eundem X 172; atque πέταχνον Alexidis ap. Ath. III 125ᶠ unde Aristophaneum πεταχνοῦνται factum est cf. Ath. XI 496ᵃ, sive πάταχνον quod Athen. ib. ποτήριον ἐκπέταλον interpretatur cf. Hes. s. v., non est diversum a πάτανον. voculae denique δορύκνιον s. δορύχνιον, plantae veneniferae, quam Demophon sec. E. M. 283, 37 a similitudine, quam haberet cum δόρυ, nominatum esse dicit, notatio maxime est dubia. ceterum pro πιθάκνη veteres Atticos φιδάκνη locutos fuisse docet schol. Ar. Eq. 789. cf. lex. rhet. I p. 290. ad significationem denique apud Aristophanem l. c. fuit *doliolum*, ubi pauperiores homines etiam habitare solebant cf. Poll. VI 14, ut Diogenes ille ἐν πιθακνίῳ cf. schol. Luc. t. V p. 186, unde etiam instrumenta rustica ita nominabantur. cf. Dem. 20, 28. Poll. X 131. posterioris aetatis scriptoribus poculi genus fuit, ut Polemoni ap. Athen. XI

78) cf. Eust. 1289, 54.

483[d], Ioni Chio ib. XI 483, unde Μεγαρικὰ πιθάκνια ap. eundem I 21[d]. eiusdem generis est πελίχνη sive πελίχνα Alcman. ap. Ath. III 111[d] cf. XI 495[b], interdum ad primitivi πελλίς formam duplici λ scriptum. deinde κυλίχνη quod φιάλη καὶ ἰατρικὴ πυξίς expouit Hesych. cf. schol. Ar. Eq. 906. ceterum κυλιχνίδες pro κύλικες παραγώγως formatum esse refert Achaeus Eretrieusis ap. Ath. XI 480[f], unde ib. 430[d] Alcaeus dixisse fertur κυλίχναις μεγάλαις. restat πολίχνη, oppidulum, ap. Thuc. VII 4, unde πολίχνιον ap. Platonem, Isocratem, alios. Πολίχνη plura fuerunt appellata oppida.

XIX.

DE ALIQUOT VOCIBUS IN -ΑΙΟΝ -ΑϹΙΟΝ -ΑΚΙϹ -ΙΓΞ SIVE -ΙΞ EXEUNTIBUS QUIBUS DEMINUTIVA VIS FALSO ATTRIBUITUR.

Mirabile foret, si aliquis hypocorismus in uno solo vocabulo expressus videretur. nam γύναιον, κοράσιον, ἐριθακίς deminutiva vulgo appellata non habent sui similes formas. ac primum quidem γύναιον si deminutivum est, a primitivo, quo secundum E. M. Pherecrates usus erat, paribus syllabis declinato repetendum fuit. at approbandum videtur Lobeckii id ab adiectivi ratione derivantis iudicium. cf. supra. deinde κοράσιον damnatum a Phrynicho p. 74 ex scholiastae ad Il. XX 404 decreto Macedonum demum aetate increbescere coepit. tum ἐριθακίς, quod schol. Theocr. III 35 nominis ἔριθος deminutivum iudicat, neque potestate neque forma deminutivis compar est. restant nomina in -ιγξ sive -ιξ terminata, quorum λάϊγξ vocabulo Homerico supra p. 188 omnem deminutivi speciem derogavimus. eum hypocorismum tuitus Spohnius l. l. p. 118 praeter λάϊγξ affert σπῆλυγξ sive uti Phavorinus habet σπῆλιγξ, oblitus ille aequalis habitus nominum cum Homericorum φόρμιγξ, στροφάλιγξ, σμῶδιξ, tum Hippocratis κύστιγξ et recentiorum στρόφιγξ (Eur. Phoen. 1126), quod Hesychius στροφεύς interpretatur, μήριγξ s. σμήριγξ, μήνιγξ, πλάστιγξ, φύσιγξ, quae a nullo dum veterum technicorum in deminutivis numerantur. cf. Lob. ad Phryn. p. 72.[79])

XX.

TERMINATIONE -ΙΔΕΥϹ ANIMALIUM FERE PULLI SIGNIFICANTUR.

Speciei patronymicorum non modo forma, verum etiam significatione paria sunt nomina in -ιδευς flexa, quorum unum υἱδεύς s. υἱϊδεύς in epistola VIII Isocratis proprium huius significationis habitum describit, cetera cum animalium pullos denotaverint, ad deminutiva trahi solent. haec pleraque plurali numero usurpabantur; singulari λυκιδεύς usus est Plut. Sol. 23. eorum usus non rarus fuit, ut ἀλωπεκιδεῖς (Ar.), ἀηδο-

79) ceterum videtur haec terminatio metaschematismus esse terminationis -ις, ut σπινθαρίς H. Ap. 442 et σπινθάριγξ Ap. Rh. IV 154, cf. p. 226

νιδῆες (Theocr.), λυκιδεῖς (id.), πελαργιδεῖς (Ar.), ἀετιδεῖς Ael. Aesop. fab. cf. Poll. V 15, κορωνιδεῖς Cratin. in An. Bekk. 105, 23, λαγιδεῖς Strab. t. I p. 385 *cuniculi*, περιστεριδεῖς cf. Valk. ad Theocr. Adon. 121 et idem ad Herod. p. 251, 71 ubi citantur πιθηκιδεῖς, χηνιδεῖς, περδικιδεῖς, ἱερακιδεῖς.

Horum analogiam secutus videtur Numenius ap. Ath. VII 322[f] σκίαιναν piscem transformans in σκιαδεύς, uti Epaenetus ib. 294[d] ἐπινωτιδεύς nescio unde repetens.

XXI.
DE VERBIS DEMINUTIVIS.

Pauca deminutiva vi praedita verba a primitivis quae dicuntur puris declinata inveniuntur: ἠβυλλιᾶν, ὀγκύλλεσθαι Aristophanis usu nota. cetera et ipsa Aristophanea in -υλλειν cadunt, cum a puris repetenda, ut ἐξαπατύλλειν, μύλλειν, unde per reduplicationem formatum μοιμυλλᾶν cf. Poll. II 90 a μέειν, βδύλλειν et βδελύττεσθαι a βδεῖν, tum longius repetenda ut δερμύλλειν interposito μ a δείρειν natum, quo schol. Ar. Nub. 734 usus est. cf. P. Burmann. ad Grat. V 106. κοικύλλειν vero ap. Ar. Thesm. 852 num his sit adnumerandum, parum liquet. postremo βρύλλειν infantium potum avide appetentium vox desiderii natura facta videtur.

XXII.
DE NOMINIBUS ET DEMINUTIVIS ET AMPLIFICATIVIS IN -ΑΞ -ΑC -ΙΑC -ΙC -ΙΩΝ -ΩΝ -ΥC DESINENTIBUS.

Poetici metaschematismi adiectiva sunt λίθαξ, δίπλαξ (cf. schol. Il. III 126), ἐριβῶλαξ, substantiva κλῖμαξ, σκύλαξ[80]), πῖδαξ, μύλαξ, utraque Homeri usu celebrata, quorum duo ultima, quamvis videantur derivata, a deminutivis longe absunt. cf. schol. Il. XII 161. eadem species est in βῶλαξ, λίθαξ, λεῖμαξ pro substantivis a poëtis post Homerum frequentata. collectivam, ut aiunt, vim videntur tenere ἕρμακες· ὕφαλοι πέτραι ap. Hesychium cf. schol. Nic. Ther. 150, κρώμακες s. κλώμακες cf. Lob. proleg. p. 447 n. 20. at σμῖλαξ s. μῖλαξ a primitivo suo nihil differt. magna deinde in -αξ exeuntium, quae se ad simpliciorem formam revocari non sinunt, ut κάμαξ, μεῖραξ, ὀρθίαξ (Epich. ap. Poll. X 134), ὕσσαξ cet.

Ab his separanda sunt quae plurima habent prototypa in -οc et in -ον desinentia. nam πάσσαξ, σύρφαξ repetenda sunt a πάσσος (Eust. 1349, 43), σύρφος quod Hesychius cum συρφετός composuit, quamvis schol. Luc. Iov. conf. 53 statuerit: ὑποκορισμὸς τοῦ συρφετοῦ ὁ σύρφαξ. cf. Lob. proleg. p. 447. huic rei non renititur θαλάμαξ. nam

80) eius primitivum σκύλος frustra tuitus est Spohn. p. 144 ex Tzetz. Exeg. Il. p. 105. neque σκύλακες *catulos* significantes, cf. Herod. III 12. Theocr. II 112, vim sibi deminutivam vindicant.

quemadmodum βῶμαξ a βῶμος, στύπαξ a στύπος, cf. schol. Ar. Ran. 1072, πλούταξ a πλοῦτος et Φόναξ, ap. Xen. Cyn. 9, 12 canis nomen, a φόνος, sic per eandem metonymiam θαλάμαξ translatum est a θάλαμος. verum στώακες aeque Hermeae, qui vocitabatur Κουριεύς, ioco excusandum videtur, atque στρατύλλαξ vel ut Fischer ad Welleri gramm. II 25, 5 emendavit στρατήλαξ apud Cic. ad Att. 16, 15 *imperatorculus*.

Tertiae flexionis sunt κλῶναξ, quod Hesychius κλάδος interpretatur, et Homericum πόρταξ a primitivi πόρτις significatu non diversum. cetera se ad secundae declinationis nomina acclinant. haec cum pleraque suppeterent salsae maxime comicorum orationi, tam deminutivae quam amplificativae affinia videntur esse potestatis. deminutiva sunt ῥόδαξ cf. Schaef. ad Greg. Cor. p. 240, στύπαξ s. στύγαξ ab Aristophane fictum ad Eucratem Atheniensium praetorem ludendum (cf. Eq. 129), νέαξ comicus quidam ap. Poll. II 11, quod voc. Nicophon ex Antiatt. Bekk. 109, 7 observatione pro νέος dixisse fertur. cf. Callim. fragm. 78. itemque βῶμαξ i. q. βωμολόχος cf. Hes. non ut lex. Seg. p. 85 ὑποκοριστικῶς ὁ βῶμος; πάσσαξ Ar. Ach. 763 cf. Eust. 540, 22. 1349, 64; θαλάμαξ (Ar.), θύνναξ Eriphus apud Ath. VII 302ᵉ quocum Eustathius 1720, 15 ὄρφαξ comparat. tum δίφραξ sella muliebris a schol. Theocr. 14, 4 καθέδρα declaratum.

Ad amplificationem propius accedunt πλούταξ Eupol. ap. Poll. III 109. Men. ap. Ath. IV 132ᶠ, λάβραξ εἶδος ἰχθύος ἀφ' οὗ ποιεῖται τὴν προσηγορίαν schol. Ar. Eq. 361, denique στόμφαξ de magniloquo Aeschylo ap. Ar. Nub. 1349. haec ab adiectivorum notione profecta esse apparet ex Lobeckii ad Phryn. p. 435 observatione: 'quem Attici ψίλακα, hunc Dorienses ψιλᾶν nominavere.' nomina enim ad quae iam progredimur, in -ας terminata attingunt vim partim deminutivam, partim amplificativam. id genus sunt primum nomina operariorum et sellulariorum (cf. Lob. Phryn. p. 435. proleg. p. 506), quae pleraque canescens Graecia protulit: καπηλᾶς, λαχανᾶς, ὀστρακᾶς, σχοινᾶς, quocum primitiva olim in -ευς -ευτης terminata erant. his tamen siqua adhaerere videtur deminutio, ea magis posita est in ipsa voce quam in terminatione. ab his diversa sunt verbalia δακνᾶς, φαγᾶς, vegetioris aetatis nomina et quae ut aiunt ἀπὸ συμβεβηκότος nominata sunt, ut τρεσᾶς s. τρέσας cf. Lob. proleg. l. c. omnisque deminutionis expertia sunt eiusdem flexionis nomina propria, quorum famosissimum est illud Eupolidis Μαρικᾶς cf. Mein. fragm. Com. I 137. pariter declinata sunt Λουκᾶς, Φιλητᾶς et quae ex firmioribus corporibus decurtata dicuntur, ut Μηνᾶς ex Μηνόδωρος cf. Lob. l. c. hunc esse metaschematismum declarat Herodianus in E. M. 93, 50 ἀπὸ τοῦ Ἀμφιάραος, inquit, Ἄμφις, ὡς ἀστράγαλος ἄστρις. Ἰφιάνασσα Ἶφις. τοῦτο δὲ οὐ συγκοπὴ ἀλλ' μετασχηματισμός ἐστι. similis mutilationis exempla probat Suidas ex schol. Ar. Eq. 1065: Κερδὼ ὑποκοριστικῶς, ὡς Εἰδοθέα Εἰδώ[81]), Ὑψιπύλη Ὑψώ. cf. E. M. 505. at a syncope propiora videntur quae nomina Doriensium more ex -αος contracta sunt in -ας, ut Μενέλας ex Μενέ-

81) cf. Matthiae ad Eur. Ion. 10.

λαος, Πτερέλας ex Πτερέλαος cf. An. Bekk. 1181 (975, 1). neque vero geminae idem significantes formae πάππας παππίας universum deminutivorum inter se concinentium genus indicant. nam haec blanda alloquia, ad formam quod attinet, arbitraria sunt neque κερατᾶς κερατίας et ἀργᾶς ἀργίας contumeliae caussa ficta ad ullam qua deminutiva formantur legem possunt referri communem. nomina enim in -ιας cum fuissent relata ad unam notionem, quamvis saepenumero in adiectivorum modum, ut οἶνος ἀνθοσμίας usurpata, eo tamen nomine quo eorum significatio declaratur facile supersedere poterant, ut νεανίας a νέαν repetendum cf. Apoll. Alex. de adv. Bekk. An. II 55, 12. Lob. ad Phryn. 96, ἐγκρυφίας, ὀβολίας, ἀποπυρίας, ἐκνεφίας, ἀπαρτίας, κυματίας, μυλίας, στιγματίας, μαστιγίας, τραυματίας alia. atque ad eorum significationem[82]) Hesychius: σελαχίας εἶδος ἰχθύων μεγάλων — cum interpretatus fuerit, ampliativa quaedam vis non ex terminatione videtur quaerenda, sed ea ratione qua v. c. ἀκοντίας[83]), *iaculus*, dicebatur serpens in praedam rapide irruens, eademque potestate sunt voces masculae in -ις: γάστρις (cf. Poll. V 14, 2), γύννις s. γύνις, κόπις (Eur.), τρόφις (Hom.), τρόχις (Aesch.), ita ut equus qui frenis reluctaretur et στόμις et στομίας vocatus fuerit: cf. Lob. proleg. p. 507. in eundem censum veniunt nomina in -ιων ut Μαχαιρίων (cf. supra), similiterque Καρίων servorum nomen contemptus vim non recepit a terminatione sed a natione ista illo tempore despecta: cf. schol. Plat. Lach. 268, 14, unde pleraque nomina ita flexa vel a colore quo eorum primitiva distincta sunt, ut αἰθαλίωνες, vel a loco ubi nidulantur, ut σχοινίων, quae et eadem avis σχοίνιλος vocitabatur cf. supra, adeo ut μαλακίων, δειλακρίων cum scholiasta Aristophanis Eccl. 1103 deminutivis non debeant accenseri; unde reprobandus videtur grammaticus nescio quis in E. M. s. v. Ἡτίων· Ἡτίων, dicens, ὁ ἥρως, ὁ πατὴρ Ἀνδρομάχης. παρὰ τὸ ἀετὸς Ἀετίων ὑποκοριστικῶς ὡς Ἥφαιστος Ἡφαιστίων καὶ Ἰωνικῶς Ἡτίων. haec enim potius se ad patronymica acclinant. at vero Ἀττικίων ab Aristophane aeque comice fictum videtur atque Ἀττωνικός voci Λακωνικός assimulatum.

Nec nomina in -ων -ωνος, quae derivatorum speciem induerunt, peculiari deminutivorum formae adscribi possunt. nam Βάκχων, Σίμων, si ex Eustathii observatione (1653, 33) a Βακχυλίδης et Σιμωνίδης καθ' ὑποκορισμόν formata essent, eam etiam cetera similiter flexa vocabula haberent significationis proprietatem. rectior igitur videtur esse eiusdem Eustathii (1228, 17) ἀπείρων docentis παρωνύμως formatum esse ab ἄπειρος explicatio, veluti αἴθων ab αἴθοψ. neque πίθων i. q. πίθηκος ap. Pind. P. 2, 72 ad deminutivi vim detorqueri potest. similem speciem habent γλάμων, γλίσχρων, κνάκων s. κνήκων, quae secundum Lob. ad Buttm. 2 p. 443 sqq. ampliativam tenent potestatem,

82) scholastarum observationes ad Ar. Ran. 742 et ad Luc. vit. auct. 27 Πυῤῥίας, Ξανθίας, servorum nomina ludibrii caussa ab adiectivis formata fuisse, refelluntur a Lobeckio Proll. p. 493 *Byrrhiae* et *Glauciae* ingenuorum nomina attestante. 83) cf. Hor. c. III 27, 6.

uti Γνάθων, *bucco*, apud Plut. parasiti nomen, et quae ducta sunt a substantivis: γάστρων, κέντρων, σάθων, πόσθων, φύσκων et a verbo καύσων (Luc. Philops. 25). singularia sunt εἴρων, δόλων, hoc per metonymiam a δόλος translatum, et μόθων s. μόθαξ Lacedaemoniis familiaris vocula.

Postremo commemoranda sunt quae huc spectant nomina quae dicuntur deminutiva in -υς terminata, de quibus commentatus est Lobeckius ad Phryn. p. 436, quorum Διονῦς sunt qui ex Διόνυσος mutilatum esse velint. at ἀπφῦς quod schol. Theocr. 15, 13 ὑποκοριστικῶς formatum esse ait, eam deminutionem toti vocis corpori acceptam refert.

EPIMETRUM.

DE NOMINUM A DEMINUTIVIS REPETITORUM USU.

A deminutivis Graeci num derivaverint alias voces cum quaerimus, huiusmodi formatio haudquaquam probatur vocula ab Aristophane comice ficta ῥακιοσυρραπτάδης. cetera enim similiter formata plurima sunt corrupta ut λαμπαδιοδρομήσαντα ex λαμπαδοδρομήσαντα apud schol. Ar. Vesp. 1198. ὀριοκόμοι ex ὀρεοκόμοι s. ὀρεωκόμοι ap. Poll. I 22. δαδιώδης quod citavit Stephanus in thes. L. Gr. ex Theophrasto pro δᾳδώδης; nam σμιλιωτός medicis orationis elegantioris minus studiosis relinquendum est. hoc vocalis ι pleonasmo affecta sunt φορτιοφόρος quo voc. schol. Thuc. IV 1 ὁλκάς explicat et ὁρκιοτομεῖν, ὁρκιοτόμοι pro ὅρκια ταμέσθαι ap. schol. Il. XIX 197 cf. Apoll. Alex. de adv. Bekk. An. II 602, 25. Poll. I 38, et ὁριοδεῖκται in B. A. 287, 20. cf. E. M. neque fiebant ab antiquis scriptoribus propagines ab ἀργύριον, χρυσίον. nam ἀργυριοθήκη, quod Harpocratio 45, 3 ex Dinarcho allegavit, corruptum est ex ἀργυροθήκη, et ἀργυριοκόπος in Septuaginta tantum (Reg. IV 2) locum invenit; neque dubitandum est quin pro χρυσιοπλύσια ap. Strab. t. II p. 109 ed. Tzsch. emendandum sit χρυσοπλύσια. scripturae autem varietate insigne est σχοινιοσυμβολεύς, σχοινιοσύμβολος cf. Bergler ad Ar. Pac. 36. B. A. 302. Poll. I 48. VII 160, quem opificem ad veterum usum rectius vocavit Plutarchus de tranq. anim. 14 σχοινοστρόφος, et nisi veteris poëtae Nicophontis μυστριοπώλαις (cf. p. 207) ap. Ath. III 126[e] metro tutum foret, ut μυστροπώλαις corrigatur, suadere non dubitarem. inde apparet satis defendi Lobeckii emendationem σπαρτιοχαίτης pro σπαρτοχαίτης metri caussa in Platonis comici versu ad Phryn. 662 tentatam. ratio autem ac caussa, cur a derivatis fuerint factae propagines, aperta est in iis quae cum deminutione videantur flexa, in deminutiva demum forma peculiarem sibi vim ac potestatem nacta sunt. ergo cum βατράχιον, βάτιον, σκάφιον, κώδιον, γραμματίδιον, ὀβελίσκος per metonymiam propriam a primitivis remotiorem significationem acceperint, nemo temere mirabitur, quod inde enata sunt βατραχιοῦν, quod Atheniensium iudicium (cf. Paus. 1, 28, 8) necessario repraesentat βατράχιον, unde illud per colorem nomen suum invenerat. eadem formae ratio est in βατιακή, citerioris aetatis poculum comicis usurpatum. cf.

Athen. XI 484ᵉ, deinde in ὑποκαφιόκαρτος Nicostr. ap. Athen. II 47ᵉ cf. p. 204, in κωδιοφόρος Strab. XVII 822 cf. p. 204, in γραμματιδωποιός Apollod. Caryst. ap. Athen. VII 280ᵈ, ubi tamen nonnulli codices γραμματοποιός tuentur; in ὀβελισκολύχνιον Theopomp. com. ap. Ath. XV 700ᶠ cf. p. 251. hinc usu venit ut ad novas formas sive derivatione sive compositione procreandas, ubi derivatum nomen expressius significaretur, derivata vox praeferretur primitivae, ut pro significationis ratione σιδιόεις, quod mali Punici putaminis colorem refert, et σιδόεις quod illi fructui apprime simile est. inde quae sunt derivata a κηρίον patent ut κηριοειδής, κηριάζειν etc. at κοριοειδεῖς[84]) quod Epicharmus apud Athen. VII 282ᵃ. 308ᵉ κορακίνοις piscibus propter colorem attribuit, fortuitam magis quam necessariam prae se fert cum vocula κόριον similitudinem. inde suam habet explicationem novicium illud ζωδιακὸς κύκλος sive ζωδιακὴ ὁδός (Maneth. 4, 168) pro ζώδια (Aristot. de mundo 2) cf. p. 240, et ποτηριογλύπτης qui Euphorionis erat carminis cuiusdam titulus cf. schol. Theocr. II 2 veluti Δημήτηρ ποτηριοφόρος ap. Athen. XI 460ᵈ. sed ad Atticorum usum cum spectatur, ea potissimum in usum recepta videntur quibus significantur proprietates ac vitia quibus iuvenilis laborat aetas, ut μειρακιοῦσθαι apud Xenophontem, cuius loco posteriores scriptores et μειρακιεύεσθαι et παιδαριεύεσθαι; deinde μειρακιώδης, παιδαριώδης (cf. supra). tum νεανισκεύειν Plat. com. ap. schol. Arist. Nicom. 4, 7 et νεανισκεύεσθαι apud Xenophontem mediaeque comoediae poëtas, cf. Mein. Com. fragm. II 1 p. 434, quod significatu discrepat a νεανιεύεσθαι unde νεανιεύματα (cf. Schaef. ad Plut. V p. 454) quod pro νεανισκεύματα ex codd. recepit Bekkerus ap. Plat. de rep. III 390ᵃ. atque per ludibrium, ut videtur, vocatur μειρακιεξαπάτης philosophus qui pecunia quam pro institutione exigebat, adolescentulos fraudaverat, in epigr. ἀδεσπ. append. Anth. Pal. 288. horum tamen usus non ultra modum et necessitatem extendendus est. nam παιδαριήματα quod Hesychius παιδάρια explicat, παιδιόθεν[85]) pro ἐκ παιδίου (cf. p. 207) ap. Ev. Marc. 9, 21, παιδιότης, παιδιοτροφεῖν illius quem modo demonstravimus significationis habitum exuerunt. non meliore nota est παιδισκεῖον *lupanar* apud Athenaeum, cf. p. 250. neque fuit quod scholiasta Ar. Vesp. 1106 in ἀγγειώδης ad formationem primitivum ἄγγος spreverit; qua in culpa idem est scholiasta ad Ar. Vesp. 672 cum dixerit κανισκῶδες (πλέγμα). quam vero secutus fuerit analogiam Cicero, cum utebatur *lemniscatus*, incompertum est. plus contra habet excusationis Plautus cum *strophiarius* formabat, quod στρόφιον sua potestate praeditum iam primitivi vim aequiparaverat cf. p. 210. hinc quae ducenda sunt ab ἱμάτιον, ψιμύθιον, λεπύριον, βιβλίον, θηρίον, κρανίον, στυπεῖον, quippe quae crebriore usu fuerint quam prototypa, formae anomaliam faciunt ratam. sic probandum videtur ἱματιουργική ap. Plat. Polit. 280 pro ἱματουργική quod inde Stephanus in thesauro L. Gr. citavit. nam εἱματανωπερίβαλλοι (φιλόσοφοι) ap. Ath. IV 162ᵃ lusus est Hegesan-

84) Hesychius cum id κορίῳ ἢ κόρῃ ἐοικός interpretatur, oculorum *pupillam* significari vult. 85) παιδιώδης legitime natum est ex παιδιά.

dri. pariter defenditur ἐψιμυθιῶcθαι ap. Lys. ὑπὲρ τ. Ἐρατ. φόν. 93ª (Steph.) pro ἐψιμυθῶcθαι, λεπυριώδηc ap. Arist. H. A. 5, 15, quod verbo λεπυριοῦν ab Hesychio in medio proposito confirmatur. multo notiora sunt, quae cum βιβλίον conglutinata reperiuntur, quamvis pro βιβλιοθήκη[86]) Eupolis dixisse feratur βιβλία ὤνια; at βιβλιοπώλης antiquae comoediae poëta, Aristomenes, unde natum videtur βιβλιογράφοc Cratini (cf. Mein. Com. fragm. II 1 p. 159. Poll. VII 211) pro quo Lob. ad Phryn. 655 correxit βιβλιαγράφοc; neque fecit adversus analogiam Demetrius Troezenius qui Didymum grammaticum nominabat βιβλιολάθαν, iocoseque vocatus fuit Andreas medicus βιβλιαίγιcθοc ab Eratosthene. haud diversa sunt θηριοῦcθαι, θηριώδηc, quamvis saepius potiora fuerint quae a primitiva voce θήρ incipiunt, quemadmodum a rariore vocabulo κρᾶνον fecit Aristophanes Pac. 1252 κρανοποιόc, contra κρανιόλειοc nescio quis in Bekk. An. 49, 2. idem vero Aristophanes (Eq. 129) cτυπειοπώληc (cf. Poll. I 84) non alia motus causa dixit quam quod derivata vox frequentiore esset usu quam primitiva. neque aliud afferri potest argumentum quod Hippocrates ἀραχνιώδηc, Aristoteles maluit dicere ἀραχνιοῦcθαι, cum ἀράχνιον *araneum* significans vetustissimi poëtae auctoritate firmatum scribentium animo prius obversaretur quam ἀράχνη, quod eo significatu citerioribus demum scriptoribus usurpatum fuerat. nec latet ratio ac caussa, cur probatissimi scriptores ἐριουργεῖν, ἐριώδηc formaverint ab ἔριον, quod sunt qui deminutivum declarent (cf. p. 195), cum quod subiici potest etymon εροc imaginarium sit, cuius loco εἶροc Homeri Ionumque usu fuit divulgatum. minus vero clara videtur vocalis ι interpolatae ratio in φοινικιοῦc ap. Ar. Av. 272, nisi forte eandem poëta aucupatus est suavitatem ac sonum quam posteriores Graeci in ἀγγελιώτηc, νηcιώτηc, cπαργανιώτηc, aliis de quibus commentatus est Lobeckius ad Phryn. p. 700. qua excusatione non potest uti psalmodus ille CXXXVIII cum cantaverit ἐξιχνιάcαc pro ἐξιχνεύcαc; nam ἴχνιον epicis tantum poetis usitatum erat cf. supra. ei autem vocum generi dissimilia sunt βιβλιακόc, cεληνιακόc, alia, quippe quorum terminatio -ιακοc propriam describat significationis affectionem. ceterum iam Homerus praebet huius vocalis metri dactylici causa interpositae exempla, ut ἀέθλιον, τειχιόειc[87]), quod ille poëta, quem quod substerni possit primitivum τειχίον de domorum maceria usurpasse constat, Gortynae, Tirynthi, oppidis munitissimis attribuit, similiterque formatum videatur φυκιόειc[88]), λειριόειc, quod nomina unde repeti possunt posteriorum fuerunt poëtarum. atque habebat quem sequeretur scholiasta Soph. O. C. 686 cum scripsisset πεδιώδηc πεδιοῦχοc, si non prosae orationis scriptorem, certe Aeschylum qui Pers. 558 ἅμ πεδιήρειc in cantico posuerat et πεδιονόμοc Sept. 254 et πεδιοπλόκτυποc ib. 83.

---

86) βιβλοθήκη legitur ap. schol. Ar. Nub. 966 Herm. βιβλοπώληc iuxta βιβλιοπώληc et βιβλογράφοc in A. B. 29, 29. 87) inde Τειχιοῦc castellum prope a Thermopylis et Τειχιοῦcα regio quaedam Mileti. 88) φυκιοφάγοι (ἰχθύεc) Arist. H. A. VII 53 cf. Ath. VII 305ᶠ.

Idem usus constat in vocibus quae in -ις cadunt, ut Graeci in horum nominum propagatione prospexerint aut perspicuitati aut analogiae, qua eiusmodi nomina certo definita significatu a primitivis formis non multum differebant. sic Hippocrates στολιδώδης, Euripides στολιδωσάμενος, Xenophon στολιδωτός usurpantes non deflexere a communi usu neque Aristophanes cum formabat βατιδοσκόπος, quoniam poëtae illius aetate βατίς piscem significans celebratior erat quam βάτος, eademque ratio est in λεπιδοῦν λεπιδωτός optimorum scriptorum usu frequentatis, unde ἀκιδωτός excusatur, quod exprimitur derivatae voculae ἀκίς significatio (cf. p. 224), quod vocabulum explicatum est in B. A. 371, 24 ὅρμος συγκείμενος ἐκ πολλῶν ἀκίδων. inde defenditur στλεγγιδοποιός pro στλεγγοποιός, quippe cum prototypon στλέγγος ad usum multo rarius esset quam στλεγγίς. cf. Interpr. Greg. Cor. p. 28.

Ex iis igitur quae sunt disputata clare patet, a deminutivis non propagasse Atticos alias voces nisi quae fuerunt iocosae comicorum orationi accommodatae, uti quae in altera compositionis parte deminutiva tenent, ut Scythae istius γεροντογράδιον ap. Ar. Thesm. 1205, φιλομειρακίσκος et quod inenodabile est ὀρθαγορίσκος sive ὀρθραγορίσκος et citerioris temporis figmentum ἀκροχηνίσκος et artis vocabulum χειροκαλαθίσκος, de quibus supra p. 251 latius expositum est. effetae vero graecitatis fuit πασσακίζουσα quod Hesychius πασσαλεύουσα explicat; nam πάσσαξ deminutivum est, cf. supra. at σκυλακεύειν Xenophontis non magis offendit quam σμιλάκινον ξύλον apud Pollucem V 32, cum σκύλος non usitatum, σμῖλος poëtarum tantum usu fuerit tritum.

CORRIGENDA.

p. 4 v. 17 scrib. προπαροξυτόνως
p. 7 in nota extr. — tertiae
p. 8 v. 23 — Plato (Tim. 85c)
p. 10 v. 29 — κορακινίδιον
p. 14 v. 18 — caulis
p. 22 v. 4 im. — in -ιον
p. 23 v. 13 excidit: in *defectu*
p. 24 v. imo pro θριγκίον scr. θρανίον et sic p. 207
p. 25 v. 8 — σιδιοειδής
p. 47 v. 13 — pro quo quominus.

CONSPECTUS CAPITUM.

Neuer philologischer und Schulbücher-Verlag

von

B. G. Teubner in Leipzig.

1869.



Aristophanis equites. Recensuit A. v. Velsen. gr. 8. geh. 28 Ngr.

Barbieux, H., Professor am Gymnasium zu Hadamar, **le livre des demoiselles.** Ein französisches Lesebuch für Mädchenschulen. II. Curs. 4. verbesserte Auflage. gr. 8. geb. 22½ Ngr.

Kappes, K., Direktor des Gymnasiums zu Donaueschingen, **Leitfaden für den Unterricht in der deutschen Stilistik.** Für Gelehrtenschulen entworfen. gr. 8. geh. 7½ Ngr.

Koch, Dr. Ernst, Oberlehrer an der K. S. Landesschule zu Grimma, **Griechische Schulgrammatik** auf Grund der Ergebnisse der vergleichenden Sprachforschung bearbeitet. gr. 8. geh. 22½ Ngr.

Daraus besonders abgedruckt:

——— **Formenlehre.** gr. 8. geh. 12 Ngr.

——— **Syntax.** gr. 8. geh. 15 Ngr.

Müller, Lucian, Geschichte der klassischen Philologie in den Niederlanden. Mit einem Anhange über die lateinische Versification der Niederländer. gr. 8. geh. 1 Thlr. 20 Ngr.

Schiller, Hermann, Professor am Lyceum in Carlsruhe, **die lyrischen Versmaße des Horaz.** Nach den Ergebnissen der neueren Metrik für den Schulgebrauch dargestellt. 8. geh. 5 Ngr.

Scholia in Lucani bellum civile edidit Hermannus Usener. Pars prior. Et. s. t.: **M. Annaei Lucani commenta Bernensia** edidit Hermannus Usener. gr. 8. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

Siebelis, Dr. Johannes, Professor am Gymnasium zu Hildburghausen, **Tirocinium poeticum.** Erstes Lesebuch aus lateinischen Dichtern. Für die Quarta von Gymnasien zusammengestellt und mit kurzen Erläuterungen versehen. Achte Auflage, besorgt von Dr. Rich. Habenicht, Gymnasiallehrer in Plauen. gr. 8. geh. 7½ Ngr. Mit einem Wörterbuch von A. Schaubach. 12 Ngr.

Weidner, A., Conrector zu Merseburg, **Commentar zu Vergil's Aeneis Buch I. u. II.** Mit Excursen über Gegenstände der Vergil'schen Grammatik und Metrik. gr. 8. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

Westphal, Rudolph, Prolegomena zu Aeschylus Tragödien. gr. 8. geh. 1 Thlr. 20 Ngr

Bibliotheca
[illegible]iptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana.

[illegible]thologia latina sive poesis latinae supplementum. Pars prior Carmina in [illegible]ibus scripta recensuit Alexander Riese. Fasc I libri Salmasiani [illegible]que carmina. 8. geh. 1 Thlr.

[illegible]uintiliani, M. Fabii, institutionis oratoriae liber decimus. Recensuit Carolu[illegible]m. 8. geh. 3 Ngr.

[illegible] Renati, Flavii, epitome rei militaris. Recensuit Carolus Lang. 8 [illegible]. 1 Thlr.

Diese neueste Sammlung griechischer und lateinischer Schriftsteller hat die Aufgabe, [illegible] gesammten noch vorhandenen Erzeugnisse der altclassischen Literatur in neuen wohlfeilen [illegible] zu reproduciren, soweit dies im Interesse der Wissenschaft oder der Schule [illegible] ist. Die Texte dieser Ausgaben sind nach den besten Hülfsmitteln einer [illegible] Revision unterzogen worden, über deren Resultate die beigefügte annotatio critica, [illegible] theils in der praefatio, theils unter dem Text befindet, Auskunft giebt. Die Sammlung [illegible] ununterbrochen fortgesetzt und in den früher erschienenen Bänden durch neue verbesserte [illegible] stets auf dem Hohepunkt der Wissenschaft erhalten.

B. G. Teubner's Schulausgaben
Griechischer und Lateinischer Classiker
mit deutschen Anmerkungen.

[illegible]icht, Dr K., Uebersicht über den Herodotischen Dialect. Neb[illegible] d[illegible]r Einleitung [illegible] I. Band der Schulausgabe des Herodot besonders abgedruckt. gr 8. [illegible]h. 4½ Ngr

[illegible]cero's Rede für P. Sulla. Für den Schulgebrauch herausgegeben von Fr. Richter. [illegible]r. 8. geh. 5 Ngr.

— **Reden gegen L. Catilina.** Für den Schulgebrauch herausgegeben vo[illegible] [illegible]. gr. 8. geh. 9 Ngr

[illegible]rodotos. F[illegible]r den Schul[illegible]brauch erklärt von Dr. K. Abicht. 1. Band. 1. H[illegible] [illegible] I. nebst Einleitung und Uebersicht über den Dialect. 2. verb. Aufla[illegible] [illegible] geh. 15 Ngr.

— — 1. Band. 2. Heft. Buch II. 2. verb. Auflage. gr. 8. geh. [illegible]r.

[illegible]razens Satiren und Episteln. Für den Schulgebrauch erklärt von G. T. A. Krü[illegible] [illegible]erb. Auflage. gr. 8. geh. 24 Ngr.

[illegible]us' Annalen. Für den Schulgebrauch bearbeitet von Dr. Ant. Aug. Draeger [illegible] Band. Buch XI–XVI. gr. 8. geh. 18 Ngr.

[illegible]phon's Cyropädie. Für den Schulgebrauch erklärt von L. Breitenbach. [illegible] Auflage. 2 Hefte, (jedes Heft à 12 Ngr.) 24 Ngr.

Di[illegible] Sammlung wird alle in Schulen gelesenen Werke der classischen Schriftsteller [illegible] [illegible]kanntlich zeichnen sich die bis jetzt erschienenen Ausgaben dadurch aus, dass [illegible] Praxis des Schulunterrichts hervorgegangen, vor allem das Bedürfniss der Schule [illegible] ohne dabei die Ansprüche der Wissenschaft unberücksichtigt zu lassen. Die [illegible]sammlung noch fehlenden wenigen Schul-Autoren werden in kürzester Frist erscheinen

Dr[illegible] [illegible] G. [illegible]ner [illegible]pzig.



